

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-760955-p0001-0

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-760955-p0002-6

Pm
154.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-760955-p0003-2

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-760955-p0004-7

2.

# NICOL. CHRISTOPHORI LYNCKER, JC.

# PRÆSCRIPTIONES PUBLICÆ,

*INAUGURALIBUS LECTIONIBUS*

PRÆMISSÆ:

VARII ARGUMENTI.

---

*JENÆ,*

Apud JOH. BIELKIUM.

LITERIS WERTHERIANIS.

CIↃ IↃC XCVII.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-760955-p0005-3

# PRÆSCRIPTIO I.
# EXCIPIENS CONFESSUS.
## AD
## *tres Leges novas.*

1. Continentiſſimos cenſeri *reos:* nec *actores* ſe conſequentibus irretire.
2. Non *fateri* reum, etiam qui obliquè *excipit*, intentionem actoris:
3. Quod in exceptione *ſolutionis*, item *compenſationis*, occurrit.
4. *Merenda* refellitur, qui diſtinguit inter *fateri intentionem*, & fateri *materiam*, quâ intentio nititur.
5. *Non utique*, i. e. *non protinùs*, fatetur: & quæ rei hujus ratio ſit.
6. Teneri reum qui fatetur, etiam in *criminali* causâ, probare exceptionem, quam intentioni conceſſæ opponit.
7. Non ideò in facto illicito ſ. cæde, ſi hanc fateatur reus, ipſi probationem exceptionis injungi, quia *præſumtione juris* gravetur; ſed quia intentionem actoris *faſſus* eſt: aliter atque *Franzkius* opinatur.
8. Non cenſeri confeſſum, qui *ſe gratiæ Judicis*, ad abolitionem, *ſubmittit:* non eum, qui *delicti*

*veniam petit*; ubi emendatur *Panormitanus.*

9. Nec pro confeſſo obligationem habetur, qui ſe *promiſiſſe* ait, ſed *ſub conditione.*

10. Habetur autem, ſi *ſub modô*, vel *certâ qualitate*, ſe promiſiſſe fatetur: indeque adjectionem talem probare neceſſe habet; contrà quàm *Franzkius* & *Zangerus.*

1.

QUod Fabius Quinctilianus ait: *Nihil affirmatione vel confeſſione pejus eſſe*; conventos in judicio *reos* vel maximè ſublevat. Equidem *Actores* quoque Jura noſtra ultrà id quod actione petunt, quid intendiſſe, atque ſemet conſequentibus involviſſe, non præſumunt: unde quamvis erciſcundæ familiæ non niſi adverſus eum qui cohæres eſt, experiamur; *l. 1. ff. famil. erciſc.* non tamen actor in eô judiciô adverſarium ſibi eſſe cohæredem, niſi prætenſum duntaxat, fateri cenſetur. *l. 37. ff. eod.*

2. Præcipuè autem *Reus* exceptionem, licèt aliam, quàm quæ factum intentionis oppugnat, agenti obvertens, intentionem ejus admiſiſſe non putatur; quin potiùs, etiam-

etiamſi *purè* ac *ſimpliciter* excipiat, actorem priùs intentionem ſuam probare, & in eo ſi defecerit, reum, utut nil præſtantem, abſolvi (*l. 4. C. de edend. c. ult. x. de jurej.*) oportet: id quod *trinis* Legibus *nonis*, *l. 9. C. de O. & A. & l. 9. ff. ut & l. 9. C. de Except.* inculcatur.

3. Neque enim confitetur debitum, qui *ſolviſſe* ſe dicit, cùm indebitum ſolviſſe potuerit: non etiam adeò, qui *compenſaturus* eſt; (in quo *Antonius Merenda Lib. V. Controv. c. 46.* magis hæſitat,) etiamſi actor compenſationem admittere velit: ſiquidem reus de mutuo debito priùs docere non debet, quàm actor Judici fundamentum intentionis ſuæ probaverit.

4. Nec *diſſentiens Merenda* Conditores Juris aſſecutus eſt, quando *d. Controv. 46. n. 5.* in diſtinctione, inter *fateri intentionem* & *fateri debitum*, momentum *Legis 9. C. de Except.* collocat: quaſi is qui excipit, non quidem intentionem, ſed tamen debitum, confiteri cenſendus ſit. Nam qui ſolutionem opponit, is non tantùm intentioni actoris contradicit, ſed ne debitum quidem unquam fuiſſe fatetur;

prout nec ſibi numeratum eſſe aſſerit. *l. 1. C. d. probat.*

5. Videlicet excipiens reus *non utique* i.e. (non, ùt Græci exponunt, ὀ πάντως, ſeu non omninò, non prorſus, ſed) *non protinùs* fundamentum intentionis, ſ. numerationem, aut quamlibet debiti cauſam, nec quæ ab iſto diſcerni debet, intentionem ipſam ſ. ſolvendi neceſſitatem admittit, *d. l. 9. ff. de Except* Siquidem confeſſionem menti ac opinioni reorum penitùs adverſam ex defenſione exceptionis, quam neceſſitate judicii ſubeunt, elicere, perquàm durum eſſe videbatur.

6. Proinde ex contrario, ſi reus, ſive in Civili ſive in Criminali cauſa, fundamentũ intentionis *fateatur:* tunc demum probet ille unà objectam exceptionem oportet, (cùm h. c. actor nullâ ampliùs probatione indigeat,) vel deficiens in probatione defenſionis ſuccumbat. Ita qui numerationem actoris fatetur, is ſolutionem, præſcriptionem, compenſationem, ad quam provocat; & qui hominem ſe necâſſe fatetur, ille tutelam inculpatam, quam prætendit, probare debet.

7. Nu-

7. Numeratio obligationem inducit: cædes hominis, ùt aliàs naturâ facti, *l. 1. C. de ſicar.* ita hîc intentione ſaltim accuſantis, dolô perpetrata eſſe, cenſetur: nec ut hunc, confeſsâ cæde, oſtendat actor neceſſe eſt. Quapropter nil ſingulare agnoverim in hac ſpecie: *Occidi, ſed ad meam defenſionem;* quaſi potiùs reo juris præſumptio adverſa ſit, & non niſi exinde allegatæ tutelæ ipſi probatio injungatur: Cùm quidē in cæteris ad ſublevandū à probatione reum ſufficiat, in exceptione ſimplici ſolutionis, defenſionis necesſariæ, confeſſionem non niſi dubiam & imò nullam, vel implicitam in eâ conditionem reperiri: ſi numerationem actor, ſi homicidium accuſator probaverit: (maximè quòd etiam defenſionem neceſſariam ſub conditione expreſsâ, *ſi probatum homicidium fuerit*, opponi poſſe omnes largiantur. *v. Jul.* Clar. *Pr. Crim. verſ. 17. qv. 55. §. f. Thom.* Triviſ. *p. 2. Dec. 46. & al.*) In alterâ verò: *occidi hominem,* (& pariter in civili causâ debiti: *accepi numeratum,*) exſerta confeſſio, quæ meritò reum probationi exceptionis obſtringit, appareat, *v. l. 9. C. de Except.* ibi: *de*

*hoc confitendo:* aliter atque *exactiſſimus* in h. doctrinâ *Franzkius*, qui cum plerisque aliis *ad c. cùm veniſſent. x. d. Inſt.* in *II. Reſol. 18.* non tam ad confeſſionem, quàm ad præſumptionem juris, confitenti adverſam, reſpicit. Nam & verba in *c. cùm venerabilis. 6. x. de Except.* cujus Auctor eſt *Innocentius III., Pontifex JurisConſultiſſimus: etſi dicta Eccleſia dudum fuerit Eccleſiæ Sabinenſi ſubjecta.* ex hypotheſi Epiſcopi actoris, cum *Panormitano ibid. n. 26.* accipienda ſunt.

8. Eſt quoque nulla utique confeſſio in eo, qui *gratiæ judicis ſe ſubmittit*, ut abolitionem criminationis impetret: *c. 7. c. 13. ibique Anton.* Butrio *num. 3. de renunciat.* & ne quidem in eo, qui *delicti veniam* petit, ùt rectè *Didac.* Covarruvias; *Lib. 1. Var. reſolut. c. 2. n. 2.* licèt ne quidem additâ conditione: *ſi commiſiſſet.* quam adjectionem nullâ juris neceſſitate *Panormitanus Abbas* deſiderat, *in c. exbibita. n. 6. x. de homicid.*

9. Quid tamen, (ut ad civilia revertamur,) ſi quis ſe promiſiſſe confiteatur, ſed *ſub conditione:* an hunc ſaltim reum adigemus,

mus, ut aut ſolvat, aut conditionem probet? Nam ille fundamentum intentionis admiſiſſe videri poſſet. Imò verò id omnium minimè admiſiſſe putandus eſt, cùm totam neget obligationem, eò quòd, nondum apparente conditione, ne quidem naſci obligationem, nec exinde actionem ullatenùs competere poſſe, conſtet. *l. 213. ff. de V. S.*

10. Quanquam verò *laudatus Franzkius*, & jam antè *Zangerus, part. 3. de Except. c. ult. n. 174. ſeqq.* idem quod de conditione diximus, in *modo* etiam & *qualitate* obligationi *adjectâ*, procedere velint, ut nempe reus, qui ſe promiſiſſe, ſed ſub modô, ſub qualitate, ait, ſimpliciter intentionem actoris negâſſe putandus ſit. Tamen, niſi modus in conditionem reſolvi poſſit, ejusque naturam, (à quâ cæterùm penitùs recedit,) ex intentione contrahentium ſortiri videatur: omninò in eô, ùt & in aliâ adjectione ſimili, diverſum aſſeri debere, ipſa ratio confeſſionis efficit, quâ reus actionem jure fundatam, nec ſuſpenſam, largitur: indeque adjectum, quem ait, modum aut qualitatem ipſe meritò probat.

# PRÆSCRIPTIO II.

# PACTA QVEMADM. INSINT NEGOTIIS STR. JURIS

AD

## *L.40.D.d.Reb.Cred.*

1. In Auditorio *Papiniani* prævaluiſſe in hâc ſpecie *Paulum Ulpianô.*
2. *Pactum* ſtipulationi adjectum, quô prorogatur ſolutio, etiam cenſeri *dies* uſurarum *diſtinxiſſe*, *ut hæ* ex ſingulis penſionibus *debeantur.*
3. Nec ſolùm *ad excipiendum* prodeſſe, ſed *ineſſe ipsô jure:* quoniam non ùt *lucrum* promiſſæ uſuræ, ſed ùt *pœna*, fuerint.
4. Ita verò actionem *ex continenti reformatam in penſiones* haberi.
5. Siquidem pactum *ab initiô*, etiam *ipsô jure*, *ne actio detur*, impedire poteſt.
6. Temerè oblocutum Auditorio *Suzarium:* imperitè quoque *Alios* procedere, qui *τὸ ineſſe* h. l. ad *actoris* partes referunt. *Ineſſe* etiam pacta, quæ *jus actoris non augent.*
7. Rectè *Cujacius*, nullibi tale pactum, quod h. l. continetur, valere *ad agendum.*
8. Et ſic non etiam adjectum *ſtipulationi;* ùt perperam *Bachovius* & *Anton. Faber.*
9. Nec unquam *pacta ſtr. j. contractui adjecta* valere *ad agendum:* contrà quàm *Hotomannus*, *Meryllius*, & *al.*

10. A-

10. Aliud eſſe: *ineſſe negotio*, aliud *ineſſe ad augendum actionem*.

11. Non eſſe *deſperatam* hanc *Legem 40.*, cum remiſſione *ad Interpretes*.

I.

IN excelſi, quique Jurisprudentiæ palmam tenuit, ÆMILII PAPINIANI *Auditorio*, cùm is *Præfecturâ Prætoriô*, caput maximum, emineret, (ceu quidem *Auditoria* quoque *Præfectorum Urbi*, & imò *inferiorum* Illuſtribus hiſce *judicum*, fuerant. *l. 67. C. Th. de App. & Conſult. j. l. 54. §. 1. ff. de re jud.*) cujusdam *L. Titii* lecta *Cautio*, cum DOMITIO ULPIANO, ùt videtur, JULIUM PAULUM, iſtius virtute & fortunâ æmulum ac rivalem, utrumque ſplendidiſſimi, atque κορυφαιοτάτε JCtorum, *Papiniani* Aſſeſſores, ipsô *Paulô lib. 3. Quæſtion.* referente, commiſerat. Sed *Paulus*, uti cœteros multitudine Scriptionis & Librorum viciſſe exiſtimatur, ita hîc validitate dicendi in arguendô ſuperior; prudentiſſimi *Papiniani*, atque *Conſiſtorii* totius, plauſum obtinuit: inque hanc ſententiam itum eſt:

2. QUANDO, pactô in continenti ſtipulatio-

lationi adjectô, quô dies modusque ſolutionis antè in Kalendas proximas conſtitutus, diviſis penſionibus prorogatus eſt; de uſuris autem, quas in pœnam non factæ Kalendis proximis ſolutionis, ſtipulatione illâ ſolvi placuerat, nil ultrà pactô convenit: tunc quoque dies uſurarum mutatus eſſe cenſetur, (*v.l.2.pr.ff. ſi quis caut. in jud. ſiſt. c. f. & l. fin. in f. eo quod cert. loc.* nil, ob rat. diverſam, officientibus *l.f.* §. *f. de condict. indeb. & l. 66.* §. 3. *ſol. matr.*) ut non ampliùs uſuræ totius ſortis ex Kalend. proximis debeantur, ſed ex ſingulis penſionibus, in quibus debitor moratus fuerit. *L. 40. ff. de Reb. Cred.*

3. Nam licèt pactum ſtipulationi, quamvis in continenti, adjectum, ſi detrahens fuerit, & ſubſtantiæ vim non infringat, duntaxat ad excipiendum proſit, *l. 27. ff. de Pact.* Tamen *in dictâ ſpecie* ipsô jure ideò ineſt, (quanquam quod rem ipſam concernit, ne is quidem, qui ſolùm exceptione tutus eſt, morari putetur:) quia non ùt lucrum uſura promiſſa fuit, ſed *ùt pœna*, ſi nempe debitor tardiùs ſolveret: quæ quidem pœna & uſura lucrativa adeò differunt,
ut

ut aliquando ex eodem contractu utrumque, & pœna & uſura, debeantur. *l. 47. ff. de action. E. V.*

4. Quapropter cùm in ipſius ſortis ſolutione debitor, per ſummotum à ſtipulatione conſenſum, munitus, atque à principio, ſeu ex continenti, non niſi ſingulis menſibus actio ad penſionem ſortis conſtituta fuiſſet: ipsô jure à pœnâ ſtipulatione contentâ, ſed per pactum protinùs reformatâ, liberum fuiſſe oportebat; neque pœnâ afſici poterat is, qui in mora non fuerat. *l. 77. ff. de acq. & om. hæred.*

5. Etenim ex intervallo pactum adjectum exceptioni tantùm profuiſſet: *d. l. 27. §. 2. de pact.* at verò ab initio, etiam ipsô jure, pactum, ne actio detur, impedire poteſt. *l. 11. §. 1. ff. de R. Cred. & l. 29. pr. ff. de V. O.* & ad primam ſtipulationem, cui in continenti, (ſive *cùm incboatur actio*, ùt *in l. 27. ff. de R. Jur.* POMPONIUS, i. e. cùm actionis prima fundamenta jaciuntur,) adjectum eſt, ipsô jure ad infirmandum modum actionis pactum illud valet: ut jam actio talis non detur, qualis alioqui jure prodita eſt; verùm qualis pactô informata

re-

reperitur. Siquidem facilius eſt, ut ex pacto ipsô jure limitari actio, quàm ut exinde dari actio poſſit. *d. l. 11. §. 1. de Reb. Cred.*

6. Quæ juris ratio cùm tantoperè evidens ſit, non debuit *Sacro Auditorii Judicio* ſolus, ut conſtat, ex Interpretibus obloqui GUIDO SUZARIUS, quem aptè ALCIATUS *in Commentariis* repulit. Et mirum eſt, cur invitâ adeò Jurisprudentiâ, (*v. l. 7. §. 5. ff. & l. 13. C. de Pact.*) complures, quando *Paulus in L.* noſtrâ. *40. ff. de Reb. Cred.* pactum hoc quod diximus, ſtipulationi ineſſe ait, idipſum *ad actoris partes* retulerint: quaſi *ineſſe* contractibus pacta dici non poſſint, niſi ad agendum valeant. Et tamen etiam detrahentia pacta, contractibus b. f. in continenti adjecta iisdem inſunt; quæ verò *jus actoris non augent.*

7. Videlicet non ſtatim id quod contractu continetur ejusdem partem facit, ſed quod judiciô contractus continetur. *l. 3. ff. de Reſcind. Vendit.* Neque etiam ulla Lex eſt, quæ id genus pacti, de quo *L. 40.* diſceptatum eſt, (contractui ſcil. ſtricti juris ut-ut è veſtigio adjecti,) probet valere ad agen-

agendum; quod eſt ineſſe ex parte actoris: ùt cordatè firmat CUJACIUS *ad d. l. 40. ff de R. C. in Paulo, p. 1020. c. & ad l. 7. §. 5. ff. de Pactis.*

8. Nec BACHOVIUS aſſenſum meretur, qui *in πρωτ. ad Tit. de Pactis. rubr. de Pactis adject. p. 585.* diſtinctione fervorem diſſentientium temperari poſſe autumat: quaſi *mutuo* quidem adjectum pactum eidem non inſit; *arg. l. 11. §. 1. de Reb. Cred. l. 17. de Pact.* ſed tamen in *ſtipulatione* (*per d. l. 40.*) ſecùs habeat: quæ cùm verbis perficiatur, pactorum naturæ propiùs videatur accedere. *l. 4. §. 3. ff. de Pactis.* Quod etiam diſcrimen ANTONIUS FABER non minùs *ad d. l. 40. in Rationalib.* prodidit.

9. Sanè PAULUS BUSIUS *ad l. 7. §. quin imò. ff. de pact.* argumenta eorum, qui pacta ſtr. juris contractibus adjecta ad agendum ineſſe aſſerunt, (quos intereſt, poſt Veteres, FRANCISCUS HOTOMANNUS *1. Amicab. Reſp. 31. & 38.* & EMUNDUS MERTLLUS *3. Obſ. 41.*) leviora eſſe cenſet, quàm ut confutationem mereantur; *tantùm quia magni nominis JCti illis uſi fuerint.*

10. Quis

10. Quis enim non videt? planè *aliud* eſſe: pactum ejusmodi ineſſe negotio, velut ſtipulationi, ut, ſubtrahendô penitùs conſenſum, actioni ipsô jure detrahat; indeque reo, (ùt in pacto quidem illo, quod ex intervallo adjectum negotio detrahit,) exceptione non opus ſit: *aliud* verò, pactum tale ad producendum vel augendum actionem valere: quale quid *in ſpecie Legis 40.* (quæ videl. jus actoris non auget, ſed imò differt protrahitvè,) contingere ne quidem potuit. Et prætereà naturæ ſtr. juris negotiorum, ut in eam pacta transeant, & ad vim actionum inde competentium adaugendam innectantur, adverſum eſt.

11. Quod verò cætera *Cautionis in L. Lecta. ff. de Reb. Cred.* attinet, quam inter *ſeptem Leges deſperatas*, cum communi Veterum Scholâ, ſepties ſeptem & plures ejus generis (ſed minimè tamen deſperatas,) repertura, NICOLAUS REUSNERUS, JC. & Academiæ olim noſtræ decus ingens, *Commentariô ſuo* perſecutus eſt, eamque *lectam ſæpiùs, ſed nondum ſatis intellectam,* JO. JAC. WISSENBACHIUS *in P. 1. Diſp. ad Digeſt.*

*Digeſt. XXIV. th. 16.* præproperè exclamat, poſt exuberantia magnorum virorum, & cumprimis, præter jam laudatos, BALDUINI, RAEVARDI, DUARENI, BRISSONII, AUGUSTINI, LORIOTTI, CONNANI, recentis ævi JCtos, ut producamus, ſupervacuum eſt.

## PRÆSCRIPTIO III.

# DURATIO HYPOTHECÆ, SUMMOTA ACTIONE PRINCIPALI:

AD

## *L. 2. C. d. Luit. Pignor.*

1. Non agi *in eâ L.* de actione principali *per præſcriptionem* extinctâ; ùt malè *Petr: Faber.* Reprobatis ſimul *Donelli* & *Giphanii* doctrinis.
2. Non etiam, ubi *pactô perſonali de non petendo* actio principalis dilata eſt.
3. Oportere hypothecam quoque ſublatam eſſe, per *reale pactum* de non petendo.
4. Neque aliam *P. Fabri* conjecturam ex *l. 59. ad SC. Trebell.* admitti poſſe; quoniam in *l. 2. C. actio* ſolùm *ſubmota*, ſed in *l. 59. obligatio*

omni jure extincta ſit.

5. Quin & *Cujacium* fruſtrà caſum ex *L. 1. C. eod.* petere.

6. Porrò, non eſſe hîc eandem cum *l. 7. C. de Pign. & Hypothec.* ſpeciem.

7. *Donellum* deſperabundum Textui manus injicere. Verba: *intelligere debes.* non eſſe increpantis; nec *Domitios* omnes inſipidos.

8. Quæ tandem *ſuppetiæ* poſt tanta ſtudia.

I.

D*urare* poſſe adv. Debitorem actionem *hypothecariam*, finitâ licèt *per præſcriptionem* actione principali, ex *l. 7. C. d. Præſcript. 30. vel 40. ann. junct. l. 1. §. 1. C. d. annali exc.* ſatis conſtat. Sed quando eam ſpeciem *in L. 2. C. de Luitione Pign.* GORDIANUM intendiſſe putat PETRUS FABER, *ad l. 129. §. 1. ff. d. Reg. Jur.* non quidem eâ ratione, quam H. DONELLUS *Lib. XVI. Comm. c. ult.* contra rationem Juris commentus eſt, (quaſi videl. actio hypothecaria tunc demum 40. annos duret, cùm & ipſa perſonalis actionis præſcriptio conventione interrupta ad tantum temporis excurrit,) aut quæ HUBERTO GIPHANIO *ad d. l. 2. C.* novô repertô placuit, (dum actionem perſonalem adverſus debitorem cum pignore non niſi

40. annis perimi poſſe opinatur:) ſed vel ob hoc deſerendus eſt: quoniam diu poſt Gordianum *Theodoſius Sen.* Imp. Jus tricennariæ præſcriptionis primus introduxit, (*v. J. Cujac. Lib. XVIII. Obſ. c. 27. ſeq.*) ut ſecundùm illud reſcripſiſſe *Gordianus* non potuerit.

2. Nec felicius Idem *Faber d. l.* Reſcripto *Gordiani* ſpeciem invenit, quando per *pactum perſonale de non petendo* ſubmotâ actione hypothecam durare, ait. Nam *ſummota* non eſt actio, quæ ſolùm adv. paciſcentem ceſſat, & adv. heredes ejus unà cùm hypothecariâ locum habet: non eſt *ſummota*, quæ non in perpetuum excluſa eſt: imò non *durant* vincula, non ſtringunt, ratione ejusdem, contrà quem inanis eſt actio perſonalis: quod *Gordianus* intendit.

3. Utique ſi vel maximè *reale pactum de non petendo* actionem perſonalem non planè ſummoveret, cùm ipsô jure adhuc inſtitui poſſit, per exceptionem ſc. excludenda: tamen pignus ipsô jure, ob ceſſantem naturalem obligationem, ſublatum foret. *l. 5. ff. quib. mod. pign. vel hyp. ſolv.*

 4. In

4. In eô autem ſuſpenſum quem tenere poſſet idem *Faber*, quando caſum *l. 59. ff. ad SC. Trebell.* Reſcripto *Gordiani* ſupponi poſſe conjicit. Sed cùm inibi, quoad debitum principale, *utramque* obligationem, *naturalem ac civilem*, per *confuſionem* penitùs ſublatam eſſe, tradat PAULUS, (*vid. l. 21. § 3. ff. d. Fidej.* quæ nec reviviſcere poſſet. *l. 58. pr. ad SC. Trebell.* & *Cujac. in Paulo d. l.* ubi juxta *l. 38. §. ult. ff. d. ſolut.* confuſionem *perſonarum* fieri, non rerum, ait, *Junge* Klock. *vol. 3. conſ. 104. n. 25.* & Hering. *c. XX. d. Fidejuſſ. §. 16. n. 46.*) ut tantùm naturalis *quà pignus* ſ. in ipsâ hypothecariâ ſuperſit, quam ſc. ex æquitate Lex *in ſubſidium* heredi adire coacto ſuſtentat. (*conf. l. 9. C. d. præd. & al. reb. min. junct. l. 178. d. R. J.* ibi: *plerumque.*) Hinc non tantùm *ſubmotam* eſſe *actionem*, ſed & ipſam *obligationem extinctam* eſſe, videmus: ac proinde licèt *utrobique duret pignus*, eò quòd *conditio pignoris: ſi ſolutam ſit aut ſatisfactum* creditori, *quâ ceſſante tenet hypothecaria*, *l. 13. §. 4. ff. d. pign.* in utrâque ſpecie *Legis 59. ad Treb. & L. 2. d. Luit. Pign.* ſit eadem; tamen diverſimodè cum

cum *cauſa principalis obligationis* comparatum eſt, eò quòd *in l. 2. actio* ſolùm *ſubmota* ſit, non penitùs *ſublata obligatio*; ſed *in l. 59.* obligatio *omni jure extincta* reperiatur.

5. Non melior eſt J. CUJACII expoſitio, quamvis eam plerique agnoſcant, quòd caſus *d. Leg. 2. Cod.* unicè ex *L. 1. eod.* nec aliunde, quærendus ſit. Nam uti ſolutio *obligationem omnem* pro parte *tollit*, non tantùm exceptionem confert, aut *actionem ſummovet*: ita ineptum fuerat, è veſtigio rem eandem, quæ jam tùm *ex L. 1. ejusd. Tit.* liquidiſſimè conſtabat, inculcare: neque Leges Codicis, cùm diſcretas ut plurimùm ſpecies referant, adeò coaſſari poſſe evidens eſt.

6. An igitur efficere fortaſſis *debitor* ſolvens poteſt, ut perſonali actione ſubmotâ *hypothecariam ipſi cedat* creditor, quò eâ adverſùs uſucapientem utatur? *l. 7. C. d. Pign. & Hyp.* atque illa ſit *dictæ Legis 2. ſpecies.* Nequaquam verò: nam ita *tollitur omnis obligatio.* Tollitur imò & *realis* ſeu hypothecaria *actio*, quia debitor pro ſuo debito ſolvit. *l. 19. C. d. Uſuc.*

nec adeò, quod cedi poſſit, ſupereſt. *l. 76. ff d. ſolut.*

7. Denique DONELLUS etiam in hos ſcopulos impegit, cæteris infelicior, quòd manum Textui inferendam, atque: *vincula pignoris non durare.* legendum eſſe, *d. Lib. XVI. c. ult. & ad L. 2. C. d. Luit. Pign.* cenſuerit. At verò profanam hanc violentiam haud unquam quis ſequatur. Et num in tanto Conſtitutionum Veterum delectu protritum quid, & quod vulgus omne videt, Juſtinianum in Codicem ſuum accerſiviſſe credendum eſt? Cùm neque voces illæ: *intelligere debes.* increpantis, ſed inſtruentis ſint, ùt vel ſolus nos in formulis docere poteſt B. BRISSONIUS: nec etiam idem fatum omnes *Domitii* ſubeant, quod *ille* in *l. 27. ff. qui teſt. fac. poſſ.* ut inſipidè conſultent.

8. Igitur nil aliud poſt tanta ſtudia ſupereſt, quàm ut famoſum illud in *L. 2. C. d. Luit. Pign.* GORDIANI Jun. RESCRIPTUM de quodam ejusmodi caſuum, (quem, ùt aliàs etiam, ex *Libello ſupplici* non repetierat Imperator, & ad *plures* porrectum voluit Tribonianus,) accipiamus, quales

*in*

*in l. 27. ff. de Pignorib. & Hyp.* (*junct. l. 30. §. 1. ad L. Aquil.*) *l. 95. §. pen. d. ſolut. & ſim.* habentur, quando nimirum creditor, ob malè inſtitutam actionem, cauſâ cecidit, plus petiit, judicio non adfuit, litem deſeruit; (*conf. l. 8. §. ſi Procurator. ff. rat. rem hab. junct. l. 14. §. 1. de Pignor. & hyp.*) quibus caſibus naturalis obligatio in litem translata eſſe videri non poteſt, *l. 50. §. 2. d. pecul.* & imò *diverſa* in illis hypothecæ *ratio* eſt: quia vitium, quod principali actioni infuit, nec merita cauſæ tangit, non etiam hypothecariæ ineſſe cenſeri poteſt. *arg. l. 51. ff. d. Evict.*

## PRÆSCRIPTIO IV.

# COMPARATA JUDICIS ET ADVOCATI NECESSITAS:

AD

## *L. un. C. Ut quæ deſunt Advocatis Partium, Judex ſuppleat.*

1. Vilipendium *Cauſidicorum.*
2. De L. *Titio* in *l. 88. §. f. d. Leg.* 2. Propudia Advocatorum.
3. *Neceſſarios* humano generi *Advocatos:*
4. Eique *levamento*; imò *Sacerdotes* & *Angelos* eſſe.
5. Citiùs quidem *Advocato carere* poſſe *Judicia*; ſed nunquam Judice.
6. Eſſe tamen Advocatos etiam de *neceſſitate Judicii probè inſtructi.*
7. Neque rebus humanis convenire, ſi *quâlibet ratione lites decidantur.*
8. Alicubi non admitti quem, ut *cauſam propriam* in foro ipſe *agat.*
9. Fatum Advocatorum ex perſonâ *Judicis* pendere.
10. Quænam *Judex*, eorum quæ *Advocatis deſunt*, *ſupplere* queat?

I.

S*Atis felices fuiſſe futuraſque urbes ſinè cauſidicis*, Lucius Columella ajebat, *in proœm.* atque Lucius Piso, *ambitum fori, corrupta judicia, & ſævitiam Oratorum increpans, abire ſe & cedere urbe, victurum in aliquo rure*, teſtabatur, ap. *Tacitum II. Libr. Annal.* Nec ille Lucius Titius, de quo *in l. 88. §. fin. d. Leg.* 2. operam Juriſperitorum tanti fecit, ut non *potiùs rationem animi ſui, quàm nimiam*, ut vocat, & *miſeram iſtorum diligentiam ſequi* mallet.

2. At verò excidiſſet miſer ille Lucius ſuâ voluntate, niſi *Juris Conſultorum* induſtria clauſulam fideicommiſſi, ex ſerie reliqua diſpoſitionis ejus, eruiſſet: & excidunt etiamnum multi his omnibus, quibus ſibi aliisque bene cuperent, quòd advocare Jurium peritos nil penſi habeant. Quod vero COLUMELLA ingemiſcit, ad ſtudium Advocatorum contrà nocentes & innocentes pertinet, quibus, ùt loquitur, conceſſum videbatur & intrà mœnia & in ipſo foro latrocinium. Quos & LUCIUS PISO apertè ferit.

3. Neque enim unquam cum gente Romuli feliciùs actum eſt, quàm ubi RUTILII, GALBAE & SCAURI, nec non CRASSI, ANTONII, ac SCAEVOLAE, cauſarum fata pari fide ac ingeniô peragerent. Quales etiam intellexit par Cæſarum, *Leo & Anthemius, in L. 13. C. d. Advocatis diverſ. Judicior.* dum eos *ſpem labentium vitamque eorum & poſteros defendentes, non minùs humano generi providere autumant, quàm ſi prælis atque vulneribus patriam parentesque ſalvarent.*

4. Quocircà Præſes ille Judicii ſui pariter ac Legalis induſtriæ, *Antonius Faber*, *ad L. 1. §. 8. d. Poſtul. Officium*, ait, *poſtulationis non tantùm dignitatem habet, ſed & neceſſitatem, quæ ſi cum pietatis officio conjuncta favore digna eſt, non tam ob perſonam poſtulantis, quàm ejus pro quo ſuſceptum eſt.* Quin imò tantò dignior ipſe Advocatus, quòd alienos ſubeat impetus, curasq; clientis ſui atque fori moleſtias humeris ſuis excipiat: *Sacerdos* verè & *Angelus* B. LUTHERO *Tom. 5. Jen. Germ. p. 180.* & (ut laciniam panno,) qui meliorem vitam eligat quàm frater Ordinis Prædicatorum, quod *Caccialupo Tr. d. Advoc. qu. 2. n. 2.* tantam videlicet in Fratribus illis neceſſitatem perſuaſo, in mentem venerat.

5. Equidem Judiciorum abſolutam conſtitutionem ſi reſpicias, Advocatis Judicia carere poſſe, non etiam poſſe Judice, indubium eſt. Sed nec Judex officiô ſuô rectè fungetur, nec Pars de ſuô Jure ſecura fuerit, niſi ex facto ſit qui neceſſaria colligat ac diſponat: quippe quòd ex facto jus oritur, *l. 52. §. 2. ad L. Aquil.* At

verô,

verò, quâ ratione ex facto jus educatur, non niſi ei qui jus noverit conſtare poteſt: neque judici factum adeò exponere audent partes, ùt Advocato: neque etiam diſtracto ſæpe Judici à partibus ſciſcitari licet, imò ne ſemper decet quidem aut convenit: ut ne de ordine judiciorum & inſtruenda lite dicam.

6. Ex quo de neceſſitate Judicii probè inſtructi Advocatos eſſe, ſatis conſtat: niſi verò in Republ. nil referat, ſuum quod debetur cuique tribui, modò exitum cauſæ quolibet tramite ſortiantur: & pluris adeò fuerit, rudem & iniquam ſcil. fovere juſtitiam, quàm juris vigore accuratô fortunas ſimul tranquillare civium & animos. Planè atque CYRO congruere videbatur, ut *longo homini pallium longum breviori brevius addiceretur*, ap. LEHMANN. *Floril. pol. Lit. R. n. 30.*

7. Nam & *teſſeris*, vel ſorte qualibet, decidere cauſas licet, indignô Juſtitiâ, re pucherrimâ ac ſolatio pleniſſimâ, & indignô item homine compendiô: quem ſumma illa & tota Juſtitia noſtra, ut ipſe non modò quid juſtum injuſtumve ſit, cogno-

ſcere

ſcere poſſet, verùm alios quoque ad juſtitiam perduceret, acumine mentis ſat validô inſtruxit.

8. Et tamen ipsô hôc rationis atque juris inde eliciti dictamine cùm in propriâ causâ pauci adeò regi ſe patiantur, ut non aliquando affectibus ſuis quid indulgeant. Hinc quod aliàs conſilii eſſe docet Scaccia §. *1. qu. 7. de Commerc. p. 2. ampl. 19. n. 124.* ut in propriâ causâ patrocinium Advocatus, quamvis peritiſſimus, non ſuſcipiat: illud neceſſitatis apud ſuos eſſe, P. Gregorius *Lib. 46. Synt. c. 6. n. 36.* perhibet: Sicut moribus Sabaudicis cautum quoque eſſe, prælaudatus *Faber ad l. 1.* §. *15. d. t.* tradit, *ut quantæcunque doctrinæ quis ſit, Advocatum in causâ ſuâ quærere vel petere cogatur*, ne per iram vel excandeſcentiam ei temerè quid excidat.

9. Nempe Judicem Advocatus, niſi ſtudiô ſui partisque ſuæ vacuus, rectè nunquam inſtruet: prout viciſſim Judicis non tantùm auctoritas compeſcere audaciam Advocatorum, ſed & inſcitiam, ſi qua fuerit, dexteritas ejus ſupplere & incuriam emendare poteſt: adeò ut *non alibi mali-*

*gnos*

*gnos & inſcitos Advocatos, quàm ubi Judex auctoritate aut prudentiâ minùs valet, reperire liceat*, & fatum Advocatorum ex perſona Judicis pendere videas. Nimirum Advocatos emendare ac reprimere Judex poteſt faciliùs, quàm Judicem Advocatus correxerit.

10. Cæterùm quâ ratione ea, quæ ab Advocatis in judicio adducta non fuêre, Judex ſupplere valeat, cùm quidem non modò *Jus* ſuppleat, (quod fieri non poſſe BACHOVIUS *Vol. 2. ad Treutl. Diſp. 9. th. 5. lit. f.* ideò quia hoc non congruè, quod in judice jam adeſt, ſuppleri dicatur, argutè magis quàm verè cenſuit:) ſed & *Factum* aliquando ingerere non modò poſſit, verùm etiam debeat: (*vid. Calvol. Prax. Aur. Conclus. VII. §. Judex.*) illud ad Textum *L. un. C. ut quæ deſunt Advocatis partium Judex ſuppleat*, Interppr. latiùs expendunt.

# PRÆSCRIPTIO V.

# PRÆROGATIVÆ ILLUSTRIUM.

## AD

## *L 17. C. d. Dignitatib.*

1. Magnam vim eſſe *præmiorum.*
2. Inde *Dignitates*, & *Ordines*, nec unam *Illuſtrium* quadrigam.
3. Illuſtribus ad *Aulam* venire licuiſſe, etiam non vocatis.
4. Quænam *revocatoriæ!*
5. Ad *Judicia reſcriptô citari* eos oportuiſſe. Hodiè etiam *Nobiles* citandos clauſis literis: alicubi neminem *voce* citari. Diſcrimina *Citationis* ab *in jus vocatione.*
6. Nullâ *ſententiâ* teneri Illuſtrem, niſi *ſcriptô* contenta ſit; ne quidem interlocutoriâ.
7. Committi eos *cautioni juratoriæ.*
8. Non frui *Nobiles illuſtrium* privilegiis.
9. Nunc etiam Illuſtres ad *fidejuſſoriam cautionem* adſtringi.
10. Et quando ne quidem antehàc *juratoria* admiſſa fuerit; ubi & de *Cuſtodiâ Magnatum.*
11. *Mitti* ad eos jurandi gratiâ *domum* ipſorum.
12. De *Criminalibus Illuſtrium* ſolum *Principem* vel Cognitorem ejus, cognoſcere.
13. Ut & hodiè. Quin & de delictis *Nobilium Immediatorum* ſolius *Cæſaris* eſſe Judicium: fruſtrà *Limnæô* iſta ad *Auſtregas* trahente,

1.

NIhil eſſe præmiis in animis hominum valentius, ab omni ævo creditum eſt: quippe quæ præſentia & futura in Republ. connectunt, meritosque pariter in officio retinent ac impoſterum acceſſuros alliciunt, ut quisque ornando honeſtandoque muneri ſuo promptius invigilet.

2. Hinc non modò Dignitates varias, in Republ. veteri, bene merentibus propoſitas; verum Ordines ipſarum, & cumprimis Dignitatem Poteſtatemque ILLUSTRIUM, quorum iterum non una quadriga fuerat, eximiis prærogativis condecoratam fuiſſe, reperimus.

3. Nam quod AULAM attinet, ad Comitatum & conſpectum Principis, *per l. 18. C. d. Dignit.* tam realibus quàm honorariis Illuſtribus venire licuit, *ſine ſacrâ revocatoriâ:* ùt exactiores libri habent. *v. l. 1. C. ut omn. jud. tam civ. quàm mil.* ubi & *Divinæ vocis copia:* & *Nov. 8. c. 13.* alibi *evocatoriâ, l. 3. C. d. Decur.* quâ idem Exdecurionibus & Silentiariis poſt militiam

tiam expletam Valentinianus III. permittit: quod quidem aliis injuſſu Principis non fuerat integrum. *l. 43. §. 1. C. d. Epiſc. & Cler.*

4. Formulas revocatoriarum, quæ vel petuntur vel ultrò diriguntur à Principe, Caſſiodorus *VII. variar. 35.* habet, & de alterô genere, quô abſentes ad Comitatum Principis evocabantur, videri poteſt Symmachus, *IV. Epiſt. 5. & VI. Ep. 35. ſeq.*

5. Judicia v. ſi ſpectemus, Illuſtres *juxta l. 17. C. d. Dignit.* nullam conventionem, neque in civilibus neque in criminalibus cauſis, ſuſtinebant, ex ullius Judicis ſinè ſcriptis habitâ *ſententiâ:* id eſt, conventione executoris, ſeu libelli admonitione: (prout Græcis etiam ψῆφος idem ſæpè eſt quod ὑπόμνησις, πρόσκλησις.) conf. *l. ult. pr. verſ. hoc etiam. C. d. princip. agent. in reb. l. ult. §. 5 pr. C. d. Privileg. Scholar. l. 6. C. Unde vi. l. 8. C. de diverſ. offic. l. 12. pr. §. 2. C. d. proxim. ſacr. ſcrin.* & proinde nudâ executoris voce conventi impunè non parebant: haud aliter ac hodiè quoque illuſtres, quin & nobili dignitate pollentes, per literas easque clau-

ſas pleriſque locis citandi ſunt. *vid.* Boër. *Deciſ. 70. n. 5.* Tiraquell. *c. XX. d. Nobil. n. 187.* Scacc. *lib. 1. d. Judic. c. 33. per tot.* ubi plures caſûs adducit, quibus aliàs quoque citatio ſinè literis facta contumacem non reddit: (quale quid in genere de quâvis citatione, quoad forum ſuum, valere notat Anton. Faber. *Lib. II. Cod. Sabaud. Tit. 2. def. 7.*) cùm quidem antehàc *in jus vocatio*, quæ & ipſa quandoque ab apparitoribus fiebat, (à citatione verò multis modis diſtat, ùt benè Vultejus *c. 1. Diſceptat. Scholaſt. pag. 16. ſeq.* oſtendit,) non niſi voce perficeretur.

6. Intereà nil vetat, quò minùs ſententiam *in d. l. 17.* pro quolibet pronunciato juſſuvè Judicis accipias: indeque Illuſtribus haud ullum ex affato quoquam Judicis oriri potuerit præjudicium, niſi ſcriptò efferretur, licèt aliàs cauſas ſummarias vivâ voce definire, atque interlocutiones oraliter proferre, nil impediat. *Auth. Niſi C. d. ſent. ex peric. recit.* Vantius *d. Nullit. c. ex def. proceſſ. n. 74. ſeqq.*

7. Porrò fidejuſſoribus cavendi neceſſitate Illuſtres in judiciis adſtringere non

oportet. Nam & hoc gravaminis quandam & contumeliæ ſpeciem continet, verùm *juratoriæ cautioni* committuntur, licèt bona immobilia non poſſideant. *l. 16. C. d. Dignit. junct. l. 12. pr. C. d. prox. ſacr. ſcrin.* P. Peck. *d. J. ſiſtend. c. 43. n. 10.*

8. Quod quidem privilegium ad Nobiles non rectè extendi *Tiraquellus* docet *d. c. XX. d. Nobil b.* ſiquidem Noſtrates etiam intrà Dignitatem Regalem *Illuſtrium* nomina cohibent: (Carpz. *III. crim. qu. 118. n. 66. ſeqq.*) atque ipſe in confinibus Italiæ, titulis nimium quantum luxuriantis, Senatus Sabaudiæ *ap.* Anton Fabrum, Præſidem, *Lib. V. Cod. Tit. XVI. def. 2. n. 1.*

9. Sed hodiè Illuſtres etiam ad cautionem fidejuſſoriam adiguntur: id quod non ſolùm in causâ Arreſtorum Camerali probat Gailius *d. Arreſt. c. IV. n. 15. & III. n. 10.* verùm etiam in aliis *Heringius* idem notat *c. X. d. Fidejuſſ. n. 308. junct.* Bachov. *vol. 1. ad Treutl. Diſp. 5. th. 2 b. & ipsô* Gailiô *II. Obſerv. 47. n. 8. & I. Obſerv. 148. n. 9.*

10. Neque verò ſufficiens illa cautio juratoria, ſed tantùm ſubſidiaria eſt, quæ nec

nec locum habere debet, ubi fidem datam frangi poſſe veremur; ût in criminibus pœnam corporis attrahentibus, aliisque gravioris momenti cauſis: Quin potiùs ob crimina atrociora *ſub fidejuſſione*, (nam iſtud retineri, quàm *Cujacium* ſequi, malim:) habendi ſunt. *l. 16. C. d. Dignit.* extrà carceralem cuſtodiam, ſub oculis ſcil. & cuſtodia fidejubentium, aut ſi fortaſſis hiſce deſtituantur, *ſub tuitione* militari: ùt in *l. 36. C. d. Navicul. l. 1. C. d. Off. Com. rer. priv.* de quâ Cuſtodiâ Magnatum delinquentium optimè Forſtnerus *ad lib. XII. Annal. Tacit. c. 41.* in medium conſulit.

11. Interim faciliùs ad juratoriam cautionem Illuſtres & eximiæ perſonæ admittuntur: idque inſuper honori eminenti datur, ut ad domum ejusmodi perſonarum jurandi gratiâ mittatur. *l. 15. ff. d. Jurej.* quod egregiæ etiam fœminæ Ungulariæ, (& multò magis Illuſtribus,) *ap. Tacitum II. Annal.* accidiſſe legimus, ut ad eam Prætor miſſus fuerit.

12. Denique ſuper *Crimine Illuſtrium* nemo alius inconſultô Principe, ſed vel

ipſe Princeps cognoſcebat vel Cognitor Principis: *d. l. 16. & l. 17. C. d. Dignit. l. 3. C. ubi Senator.* qui tamen Cognitor abſolvere quidem Principe inconſultô, ſed non item condemnare poterat. *dd. ll.*

13. Equidem hodiè indiſtinctè de Criminibus Immediatorum, Cæſareum Aulicum Judicium cognoſcit. *v. Conſt. Frid. II. ap.* Goldaſt. *Tom. I.* der Reichs-Satz. *Part. I. c. IV. p. 84.* ibi: **Fürſten und andere Hochleute:** inaniter ad Auſtregas, contrà praxin notoriam, reſpiciente Lymnæô *lib. IX. Jur. Publ. c. V. n. 63. ſeqq.* Unde fori immedietati, non etiam Dignitati Illuſtri, tribuendum eſt, quòd non modò Nobiles immediati, ubicunque deliquerint, ſed & Civitates Imperiales, ob delicta ſua atque crimina, æquè ac immediati Illuſtres in Aulâ Cæſaris ſiſtantur.

PRÆ-

## Præscriptio VI.

# INDICIA AD CONDEMNANDUM EX DELICTO AN ET QUANDO SUFFICIANT.

AD

## *L. ult. C. d. Probat.*

1. *Torturâ*, ubi de facto conſtat, non opus eſſe.
2. Num *confeſſus* torqueatur? ad artic. 16. Ord. Crim.
3. Fruſtrà *Bodinum* vellicare Judicia Germaniæ. Nam torqueri quem, damnari etiam, in factô notoriô; ſuô modô. Nec pugnantes eſſe *Ord. Crim. articulos*; ùt *Vigelius* malè docet.
4. *Factum* ſæpè manifeſtum, ſed non etiam *cauſam defenſionis* eſſe, quam *torturâ* quandoque ſuſtinere oporteat.
5. *Deprehenſum* non protinùs cenſeri convictum, *Convictum* v. pernegantem licèt, *condemnari*.
6. *Indicia* ad *accuſandum*, ſed non etiam ad *condemnandum*, ſufficere, ùt nec *præſumtiones*, *juris & de jure*, niſi per eas convictus haberi poſſit.
7. De *præſumtione juris*, ex *Menochio*.
8. Valere *ad condemnandum* probatione, imperfectas, ſi de *civili objecto* in crimine, ùt & ſi de *levioribus delictis*, ageretur.

1.

F*Acti in eculeo quæſtio eſt, Juris in Judicio. Ubi de facto conſtat, de jure tantùm diſputatur, quæſtione opus non eſt: jure enim an injuriâ, nihil ad tortorem.* Ita CICERO pro Milone.

2. Quid ergò eſt, quod NEMESIS CAROLINA Artic. 16. conſtituit? *In notoriis & indubiis maleficiis quæſtione reum ad confeſſionem adigi debere.* Et nonne juſta JOHANNIS BODINI indignatio? quando *in Lib. IV. Mag. Dæm. c. 2. f. 571. Peſſimum,* ait, *eſſe morem illum Germaniæ, Reum niſi confeſſum non mulctari morte, ut mille teſtibus etiam convictus fuerit, ſed torturæ ſubjici, ut membris captus langueat toto vitæ ſpatio.*

3. Sed malè in Germanicâ Legislatione curioſus *Bodinus* interiorem ſenſum ejus non penetravit. Nam utique torquemus reum in facto notorio, *d. art. 16.* Condemnamus etiam ſinè tortura, in facto *liquido & probato,* ùt alibi eadem CAROLINA SANCTIO, *in Articulis 9. 67. & 69.* ingerit: (quos cum priori illo *Art. 16.* NICOLAUS

Vigelius in *Method. Conſt. Carol. c. 4. q. 1. exc. 7.* ac ſi ei contradicerent, committere non debuit.

4. Videlicet manifeſtum eſſe factum poteſt, quod extrinſecùs ſi ſpectetur, delicto reum involvit; utpote violentia, item detentio rei furtivæ, quòusque de causâ utriusque non apparet, quâ factum ejusdem ab imputatione criminis liberari queat, cur ſcil. reus vim alteri impegerit, & unde rem furtivam apud ſe deprehenſam conſecutus ſit: de quâ causâ ſi fidem ille dare non poſſit, non immeritò pacifragii aut furti reum ſe non eſſe, torturâ ſuſtineat.

5. Neque enim protinus qui in facinore deprehenditur, pro convicto habendus eſt; cùm in notoriis quoque legitima poſſit prætendi defenſio: & imò ſæpè notoria dicantur, quæ talia non ſunt. *l. 7. l. 14. C. d. Accuſat.* (ſo unzweifflich gemacht wird/ *cit. Art. 16. Ord. Crim.*) Quòd ſi verò probatum crimen fuerit, nequaquam ad torturam procedimus: quin potiùs reum, licèt pernegantem, utcunque in cauſa capitali

 pitali

pitali fuerit, condemnamus. *l.16.C.d.pœnis.* (ibi: *convictum.*)

6. Oportet autem ut aperta ſit probatio, & licèt indicia urgentia ad accuſandum admittantur, de quo celebris illa Conſtitutio *L.ult.C.d.Probationib.* accipienda eſt: (quippe quòd in *Cod.Theodoſ.* ubi partem poſteriorem *Legis 3.C.d.Abolitionib.* conficit, variè *à Triboniano* interpolatam, non minùs ad articulum Accuſationis directa ſit:) tamen ad condemnandum capitaliter, etiamſi in criminibus occultis, aut quæ difficilis probationis ſunt, verſemur, (*art. 22. Ord. Crim.*) ſuſpiciones, (i. e. indicia, *l.ult.ff.d.quæſtionib.& Art.29.Ord Crim.*) non ſufficiunt; & ne quidem ex *præſumptionibus juris & de jure* ad pœnam capitalem deveniri poteſt, niſi quà per eas non tam oneratus, quàm *convictus* eſſe, reus videtur, ut exinde productis argumentis contradicere non poſſit, *v.l.1.§.4.d.quæſt.l.5.§.6. de re milit. l.22.C.d.falſ.junct. c.12. X.d. præſumpt. & c.6. d.confirm. util. vel inut.* adeòque non aliter quàm *gradatim, & peractô legitimô judiciorum ordine.*

7.Qui

7. Quâ demum ratione MENOCHII doctrina *Lib. 1. d. præſumpt. qu. 97.* procedit, quòd etiam ordinariam pœnam *præſumptiones juris & de jure* adferant; & imò idem obtineat, ſi quem *præſumptio juris*, eaque *ſpecialis*, gravet, uti doli mali in homicidio; non item *hominis*, quamvis violenta ſit: nam ita mitiorem ordinariâ pœnam inferendam eſſe.

8. Nec dubium eſt, *quin imperfectæ probationes*, ſi de *civili* quopiam objecto agatur, (*v. c. 2. X. d. probat.*) etiam in crimine ad plenam probationem conjungi poſſint: quale quid *in adulterio*, ob quod *ad ſeparationem cohabitationis* actio inſtituta fuerat, BESOLDUS *Conſ. 188.* aſſerit: prout etiam *in delictis levioribus*, & quorum pœna corporalis non eſt, indicia, modò evidentia ſint, ad condemnandum valere, CARPZOV. *3. Crim. q. 116. n. 51. ſeqq. & q. 108. n. 33. cum al.* docet.

# PRÆSCRIPTIO VII.

# REI SUÆ INVASOR AMISSIONE EJUS MULCTATUS.

## AD

## *L. 7. C. Unde vi.*

1. Inhibita *privata auctoritas*, *communiter* Legibus.
2. Tum & *Juribus* quibusdam *ſingulariter*.
3. Quanquam hæc *foro ceſſare*, etiam *communi*, plures aſſerant. Quid de *Saxonicô?*
4. Rectiùs *Alii*, qui etiamnum Leges illas *ſupereſſe*, *præjudiciis* quoque inſtructi, docent.
5. Easdem in *Ordinationem Cam. Imperial.* receptas.
6. Nec *abrogatas* cenſeri poſſe, quando non applicari poſſint *ad ſpecies non ſuas*.
7. Non enim pertinere eas ad *dejectionem in continenti*; non ad *retentionem* & ſim.
8. Non item ad *manûs injectionem*, *pignorationem*. Et quoties haberi non poteſt *copia Judicis*.

I.

Cùm nemo ipſe ſibi jus reddere poſſit, ne judex quidem, *l. 10. ff. d. juriſd. l. pen. d. Off. Aſſ. l. 17. d. Judic. junct.*

*junct. l. 13. §. 4. ad SC. Treb.* & ne quidem *rei ſuæ* poſſeſſionem *propriâ auctoritate* ingredi liceat, *l. 7. §. 3. ff. quod vi aut clam. l. 9. C. ſolut. matr.* ne occaſio inde ſit *majoris tumultûs* faciendi, *l. 176. pr. ff. d. R. Jur.* Hinc Legum, ût *Theodoricus* apud CASSIODOR. *IV. Epiſt. 4.* conjicit, *reperta eſt ſacra reverentia, ut videl. nihil manu,* (privatâ illâ ſingulorum, ſecùs ac publicâ & per Magiſtratum ſubmiſsâ, ùt in *l. 50. ff. d. A. R. D. junct. l. 1. §. 1. ff. ſi ventr. nom. mul. l. 68. ff. d. R. V. l. 3. ff. ne vis fiat ei, qui in poſſ.*) *nihil propriò ageretur impulſu.*

2. Nec univerſa tantùm eò collimat Legislatio, ſed & curam ſingularem Conditores juris, ut vim privatorum coërcerent, impendiſſe videmus, cumprimis *in §. 1. Inſt. d. Vi Bon. Rapt. §. 6. Inſt. d. Interdict. l. 13. ff. quod met. cauſ. l. fin. & ult. d. vi publ. & priv. Nov. 60. c. 1.* & quæ *parallelos* hoſce textûs celebritate ſuperat, in LEGE, SI QVIS IN TANTAM. 7. C. UNDE VI. Quibus juribus *amiſſio* crediti vel rei, quam quis aliter quàm per judicem alteri extorquet, intentatur.

3. Et-

3. Etiamſi verò DIDACUS COVARRUVIAS *in III. Var. Reſol. XVI. n. 7.* rigorem *Legis illius 7.* cum ſimilibus, communi totius Chriſtiani Orbis uſu & praxi antiquatum eſſe ſcribat, eumque *exteri* non modò, ùt SARMIENTUS, CASTILLO, MORNACIUS, AUTUMNUS & alii, ſed & CLUDIUS, HARPPRECHTUS & GIPHANIUS ſequantur, ut ne *Saxonicos* referam JCtos, qui omnes, unô ferè GOEDENO exceptô, quem propterea COLERUS *in Deciſ. 155.* notavit, ſaltim in *biſce Oris*, diverſum per Jura *Saxonica* & obſervantiam Judiciorum noſtrorum, introductum eſſe rectè inculcant. ( vid. poſt COLERUM, SCHULZIUM, BERLICHIUM, FINCKELTHUSIUM &c., CARPZOVIUM *in Forenſ. IV. 35. 11. & in Pr. Crim. P. 2. q. 88. n. 19.*)

4. Tamen etiam plures, auctoritate & experientiâ graves, Conſtitutionem illam *Legis : Si quis in tantam*, quoad *Forum Commune*, intrà & extrà Germaniam, niſi ubi ſpeciali Lege diverſum introductũ eſſe reperiatur, in viridi obſervantiâ eſſe perhibent: quos inter *ipſi Saxones*, prædictus SCHULZIUS *ad Inſt. d. Vi Bon. Rapt. Lit. b.*

*&*

*& de Interd. Lit. e.* CARPZOVIUS *dd. ll.* WESEMB. *in Conſil.* HILLIGERUS *in Lib. XVI. Don. Enucl. c. 30.* PHILIPPI *in Lib. IV. Uſ. Pract. Inſtitut. Ecl. 12. num. 13. ſeqq.* & præprimis HEIGIUS *ad §. 6. Inſtit. d. Interd.* (ubi ad SEILERI *præjudicia Cameralia* provocat.) nec non *aliarum Regionum & terrarum* JCti, ùt MENOCHIUS, GUTIEREZIUS, ANT. MATTHÆI, inque noſtrâ *Germaniâ*, poſt reliquos ſuperioris ævi, *præjudiciis* ſe munientes, JO. BRUNNEMANNUS *ad l. 7. in Comm. Cod.* & DAVID MEVIUS *Part. I. Dec. 95.* ubi violentum rei hypothecatæ invaſorem amiſſione crediti coërcitum eſſe memorat; & ne *milites* quidem à rigore Legis illius eximit. *P. IV. Dec. 218. &c.*

5. Planè cùm *recentes* quoque *Imperii Conſtitutiones* veſtigia iſtius *Legis* 7. per omnia premant, v. C. G. O. zu Wormbs *d. Ann. 1521. Tit.* Wie es in Irrung der Poſſeſſion &c. §. Und ob ſich ie zu Zeiten begebe / &c. *ibi:* Soll der Entſetzer dadurch das Eigenthum oder Haupt-Gerechtigkeit der Güter / oder Gerechtigkeit / um die der Streit geweſen / verlohren haben. So aber dieſelbe Güter

oder

oder Gerechtigkeit gedachtem Entſetzer mit ihrem Eigenthum nicht zugehören/ ſoll er deren Werth dem Entſetzten/nach Ordnung der gemeinen Recht/ zu geben ſchuldig ſeyn. Hinc tantò minus dubii habet eorum doctrina, qui Legi etiam noſtræ adh. dum vigorem priſtinum aſſerunt.

6. Reliquos autem vel maximè decepiſſe videtur, ( ùt ſæpiùs accidere ſolet his, quibus Legum complurium obſervantiam tollere ſolenne eſt, ) quòd casús quos ipſi ad Leges eas licèt malè retuliſſent, aliter deciſos fuiſſe viderint: nec enim facilè occurrunt ejusmodi ſpecies, ad quas *Conſtitutio Legis: Si quis in tantam.* exactè quadret: quin potiùs violentia ſæpiùs eſſe videtur, quæ talis non eſt.

7. Proinde ad *dejectionem in continenti*, ( quod ipſum pro certo rerum ſtatu *poſt decennium* quoque ſupereſſe cenſeri poteſt. Juxt. PHIL. DEC. *conſ. 460. n. 17. ſeqq.* junct. LUDOV. MOLINA *Tom. 1. Tract. 2. d. Juſt. & Jur. Diſp. 16. n. 14.*) *Lex* illa; *Si quis in tantam.* haud dubiè non pertinet. *l. 3. §. 9. d. Vi & vi arm.* GAIL. *Lib. I. d. P.*

*P. c. 16.* non etiam ad *retentionem*, quæ aliàs quoque difficiliùs quàm petitio denegatur. *l. 48. ff. d. R. V. l. 51. ff. d. cond. indeb.* Et quotusquisque invaſor non defenſionem, retentionem & ſimiles cauſas prætendit? quibus nec difficile eſt, ut *à doli imputatione* liberetur.

8. Sic & *injectio manuum* in homines proprios, *per Auth. Ad hoc: C. d. Latin. Lib. toll.* ac ex poteſtate patriâ & maritali in liberos & uxores, *Creditoris* in debitorem fugitivum, *l. 10. §. 16. ff. quæ in fr. cred.* & quæ moribus noſtris recepta eſt *pignoratio*, requiſitis debitis prædita, (*v.* KLOCK. *I. Conſ. 29.*) vim exteriùs tantùm præferunt: ceu nec vis habenda eſt, quotiescunque judicem invocare ſerum eſſet: quibus ùt & aliis caſibus à MENOCHIO *Recup. Poſſeſſ. remed. IX.* recenſitis, (utut eos omnes nemo cum illo rectè probaverit,) ſi non applicetur ſæpè memorata Conſtitutio, num illam propterea foro abiiſſe dicendum eſt?

# PRÆSCRIPTIO VIII.

# PRÆSCRIPTIO QVID VALEAT IN LOCIS PUBLICIS.

AD

## *L. 7. D. d. Diverſ. tempor. præſcript.*

1. Videri poſſe *Marciano* in *d. l. 7.* adverſari *Papinianum* in *l. 45. pr. D. d. Uſurp. & Uſucap.*
2. Sed tamen utrumque velle, quòd *uſum loci* quòusque habeat poſſeſſor, alium inde prohibere poſſit.
3. Temerè *Franciſc. Balduinum* corrigere *Tx. dictæ L. 7.*
4. *Jus piſcandi* in flumine quæri non poſſe. In *diverticulo piſcationem* per longum tempus poſſe defendi, & domûs in litore ædificatorem *quaſi dominum.*
5. Non poſſe *obtineri* præſcriptione *loca publica*, poſſe *teneri. Præſcriptione* olim non niſi longæ *poſſeſſionis ſecuritatem* comparatam; ceu *Galvanus* quoque obſervaverit.
6. Inde beneficium unum *exceptionis*, alterum *actionis utilis.*
7. Perperam *Buſium*, ultrà *actûs exercitos*, etiam alios inde *prohibitos* eſſe, requiri.
8. Sed & malè *Alios*, temporis *immemorialis* uſum deſiderare; niſi de acquirendo ipsô *jure* piſcandi, idque *adv. ſuperiorem* agere-tur.

1. Quid

1.

Quod *Marcianus* JC. Lib. III. Inſtitutionum ait: *Si quisquam in fluminis publici diverticulo ſolus pluribus annis piſcatus ſit, alterum eôdem uti jure prohibere. l. 7. ff. d. div. temp. præſcript.* in eo *Papiniano* adverſari videtur. Nam Papinianus *l. 45. (ſeu ult. in Florentino) pr. ff. d. Uſurp. & Uſucap. Præſcriptionem longæ poſſeſſionis, ad obtinenda loca Juris Gentium publica, concedi non ſolere*, tradit.

2. Nec tamen JCti diſſident. Cùm enim *Marcianus* eôd. Lib. III. Inſtitut. *l. in tantum. ff. d. Rer. Diviſ.* (nam ita ex divulſis à Triboniano textibus eruere veram Auctoris ſententiam oportet,) ipſum *eum qui in littore maris ædificat, ſoli eſſe Dominum* perhibeat, *quamdiu ædificium manet*: hinc *in d. l. 7.* pari ratione idem accipiendus eſt, quòd quis prohibitione uti poſſit, ſi in diverticulo eo, ſeu flexu fluminis, *pluribus annis*, (*i. e.* longô ſeu eô tempore, unde præſcriptio longæ poſſeſſionis oritur,) piſcatus ſit, *& adhuc piſcetur.* Ex diverſo enim, ſicut ædificiô dirutô locus

 ad

ad priſtinam cauſam revertitur: ita ſi quis deſinat piſcari, alterum eodem jure quin utatur, prohibere non poterit. Quem in ſenſum quoque *Papinianus* loquitur, ceu exemplum prius ab ipſo adductum apertè, & poſterius, ne priori fiat diſſimile, per rectam interpretationem, ut videl. nunc non ampliùs piſcetur, qui piſcatus fuerat, evincit.

3. Itaque cauſam non habuit *Franciſcus* Balduinus *in* §. *Flumina. 2. Inſt. d. R. Div.* cur *Marcianum in l. 7.* immutaret, ut in locum: *prohibere.* legendum voluerit: *non prohibet.*

4. Equidem jus in flumine piſcandi commune eſt omnibus, *d.* §. *2. Inſt. d. R. D.* nec quisquam eô citrà injuriam prohiberi poteſt. *l. 13.* §. *f. d. Injur.* At verò *in diverticulo*, cujus etiam uſu proximè ad uſum privati loci accedente, publicum uſum fluminis intercipere non videmur, uni, licèt non quidem jus piſcandi, (uti malè nonnulli apud Brunnemannum *ad d. l. 7. n. 7.*) ceu nec diverticulum ipſum, aliæque res publicæ, (*l. 9. ff. d. Uſurp. & Uſuc.*) ipſa tamen piſcatio, per longam tem-

temporis poſſeſſionem defendi poteſt; non aliter ac Marcianus *d. Lib. III. Inſt. l. 6. d. R. Div. Soli Dominos conſtitui*, ait, ſtatim & ſine præſcriptione, *eos, qui in littore maris ædificent*, (i. e. defendi quaſi Dominos,) *quamdiu maneat ædificium.* (jung. *d. l. 45.*) nam *dirutô ædificio ſolum in priſtinam cauſam reverti. l. 4. ff. ne quid in loc. publ. ut ſi alius in eôdem locô ædificaverit, ejus fiat*, i. e. inſtar Domini ſecurus ſit.

5. Videlicet ad *obtinenda* ſeu retinenda loca publica Juris Gentium non datur præſcriptio longi temporis; *d. l. 9. ff. d. Uſurp. & Uſuc. & l. 45. pr. ff. eod.* datur tamen ad tenenda: quò & doctrina *M. Aurelii* Galvani *c. XI. d. Uſufr. n. 10.* pertinet, quòd nempe præſcriptio longæ poſſeſſionis Dominium non induxerit, (aliter atque uſucapio & longi temporis poſſeſſio. §. *ult. Inſt. de Uſuc. & long. temp. poſſ.*) ſed tantùm perpetuæ poſſeſſionis ſecuritatem; *arg. l. 15. §. f. d. cond. indeb. & l. 7. C. de præſcript. long. temp.* adeò ut *ſi quando uſucapio locum habet, ad quæſtionem longi temporis præſcriptionis*, quippe quod ſubſidiarium tantùm ſit remedium in illis caſi-

bus, ubi juris quoddam impedimentum ſubeſt, quò minùs continuatione temporalis poſſeſſionis acquiri Dominium poſſit,) *ſuperfluò perveniatur. l. 2. C. quib. non objic. long. temp. præſcr.*

6. Eaque ſecuritas præſcriptionis auxilia duo habet, unum *Exceptionis*, (quod non agentibus tantùm in judicio opponeretur, ſed etiam tentantibus aliquid in præjudicium poſſidentis, ùt hîc diuturni piſcatoris,) & *utilis actionis* ad poſſeſſionem vindicandam.

7. Nec tamen *Buſii* monitum *ad d. l. 45. ff. de Uſurp. & Uſuc.* probare poſſum, quando non ſufficere putat in piſcandi illa præſcriptione ſolos piſcationum actûs, ſed præterea requiri, ait, ut præſcribens alios ibidem piſcari *prohibuerit*. Neque enim hoc ante longam poſſeſſionem fieri citrà injuriam potuiſſet; atque ſola plurium annorum quieta poſſeſſio, cùm prohibitione quâdam non indigeret, piſcantem ſatis tuebatur.

8. An autem, quod aliquibus viſum fuit, ad hoc ut ſolus quis piſcari in diverticulo poſſit, *immemorialis temporis poſſeſſio* deſi-

deſideretur, ambiguum eſt? Utique ſi quis jus piſcandi ipſum in flumine publico acquiſitum ſibi velit, (de quo tamen nec *Marcianus* agit,) idque contrà Superiorem quempiam: tunc ejusmodi præſcriptione opus eſſe arbitror; velut poſt Sixtinum de Regalibus noſtrates JCti, ad uſum hodiernum accedentes, expendunt. *v. l.3. §.4. ff. d. aqu. quot.*

## PRÆSCRIPTIO IX.

# SUPERSTES ACTIONI PRINCIPALI HYPOTHECARIA.

AD

*L.7.C.d. Præſcript. 30. vel 40. annor.*

1. *Argentræo* cæterisque ignoſcendum eſſe *exteris*, quando ad *rationes Romani Juris* difficiles ſunt.
2. Sed *Bachovio* ſuccenſendum, qui *abſurditatem* penè in *d. l.7. Juſtiniano* imputat.
3. Quanquam inde non eripiant Imperatorem, qui per *naturalem obligationem*, extinctâ per præſcriptionem tricennariam *civili*, adh. *ſuſtentari hypothecam* exiſtimant.

4. Nec qui ob hoc terminos hypothecariæ ulteriùs protenſos volunt, quoniam *tardius* plerumq; *initium* eſſe ſoleat *hypothecariâ experiundi*, quàm ut debitum principale repetatur.

5. Verius eſſe, etiam *naturalem obligationem* debiti *principalis* per præſcriptionem extingui:

6. Indeque *Lege merâ* ſuſtentari, ob nexum hypothecæ *acceſſorium*, poſtquam *rigidô jure præſcriptionis* extinctum eſt principale debitum. *Similia* alibi *in Legibus* reperiri.

7. *Decennii* intervallum *Juſtiniano* placere potuiſſe.

8. Jus *luendi pignus*, debitori competens, quòusque duret?

I.

NOn indignabimur *Argentræo*, quando is *ad Conſvetud. Britann. art.* 273. *cap. de Hypothecar. præſcript. n.* 19. nullâ ratione à Juſtiniano *in l. 7. C. de Præſcr. 30. vel 40. ann.* conſtitutum, ait, ut hypothecaria actio adverſus debitorem ad decem annos, ultrà principalem tricennariam, perduraret.

2. Nam hoc Cenſoribus exteris ſolenne eſt, ut in rationes ejus, quod plurimum ex voluntate Legislatoris Romani, aut ſubtilitate Romanæ Prudentiæ, trahit, cum eâ quâ debebat fieri dexteritate, inquirere ſuper-

ſuperſedeant. *Bachovio* autem ignoſcere fas non eſt, qui vix abſurditatis abſolvi poſſe Juſtinianum (*ad Treutler. vol. 2. Diſp. I. th. 7. lit. b.*) ſcribit.

3. Equidem quòd naturalis obligatio, ſublatô per præſcriptionem tricennalem civili vinculô, adhuc in principali debito ſuperſit, eâque hypotheca ulteriùs ſuſtineatur: Id verò tam crudè arreptum *Recentiores* in Commentarios recipere non debebant. Cur enim naturale iſtud vinculum in obligatione perſonali non ultrà 40. annos durat amplius? Et cur hypothecaria actio ante Juſtinianum contrà ipſum debitorem nullô tempore expirabat? An verò alia ſub diverſis Imperatoribus eſt naturalis obligatio?

4. Neque rectiùs difficultatem expediunt, qui tardiùs plerumque hypothecas nos perſequi ſolere, & exhinc tempus actionis hypothecariæ ultrà fata principalis actionis protenſum eſſe, dicunt. Nam hypothecaria præſcriptio tunc demum, quando actio moveri poteſt, i. e. quando ſolvere ceſſat debitor, initium capit. *d. l. 7. §. 1. C. d. Præſcr. 30. vel 40. ann. l. 1. §. 2. C.*

 *d. an-*

*d. annal. except. l. 30. C. d. J. dot.* (*conf. in fin. l. 9. §. 3. l. 40. §. 2. & l. ult. in f. pr. ff. d. Pign. Act.*) adeò ut ſi hypotheca obligationi in diem certam adjecta fuerit, non antè currere incipiat, quàm dies venerit. *d. l. 7. §. 4.* Quocircà *Balbus part. V. d. Præſcript. partis quintæ, qu. 3.* tunc quidem, factâ nondum excuſſione Debitoris, hypothecariam currere, tradit, quando ſcil. in poteſtate creditoris fuerit, ut principali actione contrà debitorem experiretur. *arg. l. 1. §. 8. ff. ſi quis om. cauſ.*

5. Itaque *Juſtinianus* ſibi rectiùs conſtabit, quando per præſcriptionem tricennariam, in obligatione principali, naturale quoque vinculum ſublatum eſſe dicemus: Quod hactenùs, ex fortiori nempe ratione boni publici, per præſcriptiones intenti, Legislatorem moderari poſſe nil vetat: prout non minùs judicato etiam iniquo ex præſumptâ æquitate vinculum naturale ſi vel maximè ſubeſſe videri poſſit, *l. 60. ff. d. condict. indeb.* ſupprimitur tamen & ſimul ipſum pignus tollitur. *per expr. t. l. 13. ff. quib. mod. pign. vel hyp. ſolv.*

6. Nihilominus enim hypotheca, quoad præſcriptionem, ulteriùs porrigi poterit, quamvis ex principali obligatione nil planè ſupereſſe cenſeatur: (ceu quidem alibi, extinctâ licèt per confuſionem naturali obligatione, pignus perdurare videmus: *l. 59. pr. ad SC. Trebell.*) atque adeò illa ſaltim ſecuritatis ſurrogatio à Lege ſuſtenta ſuperſit, (*conf. l. 9. C. d. præd. & al. reb. minor. junct. l. 178. d. R. Jur. ibi. plerumque.*) quæ ùt naturali æquitate ipſius hypothecæ, per relationem ad debitum, rigidô tantùm præſcriptionis jure extinctum, nititur: ita num civili illô præſcriptionis vel confuſionis jure & quòusque naturale vinculum ejusve cauſam ſublatam, aut quod obligationi reale munimentum acceſſerat, perdurare velit Legislator, in ejus poteſtate non immeritò ſitum eſſe debet.

7. Quare etiam Juſtinianus, velut aliàs per decennia ferè progreſſus eſt, ita cùm ex infinitâ adverſus debitorem duratione hypothecariæ actionis ad terminum eam redigere vellet, hypothecariam illam perſecutionem intrà annos 40. coërcuit.

Et durat igitur h. c. hypotheca ſublatò per præſcriptionem principali debito.

8. Quamdiu verò duret ex adverſo jus debitoris luendi pignus creditori traditum, & an ei luitioni præſcribi poſſit, id non uni difficultati involutum eſt: de quibus ad *l. 10. C. d. Pignorat. Act.* alibi actum fuit.

## PRÆSCRIPTIO X.

# NECESSITAS JURANDI CLERICIS IMPOSITA.

AD

## *Auth. Sed Judex. C. d. Episcop. & Cleric.*

1. Nullius credi *injurato teſtimonio.*
2. Ne *Epiſcopi* quidem; cujus *ad domum* ſolùm *mittatur*, & ut juret *non tactis Evangeliis.*
3. *Authenticam: Sed Judex.* non exprimere *Novellam 123. c. 7.* ſed ſuo tempori aptatam eſſe.
4. Sæpè *ex inſtituto Auctorum* abſcedere à *Novellis Authenticas*, ut hæ *jus recentius* referant.
5. Ne quidem *Jus Canonicum* Clericos à neceſſitate jurandi eximere;
6. Etiam quoad *Jusjurandum calumniæ.*

7. In

7. In *Decreto* ſolùm à Jurando *in levioribus* eximi.
8. *Recentiori ævô* etiam eos in cæteris cauſis ad hoc *ſe difficiles* exhibuiſſe.
9. Et eò reſpexiſſe *Auth. Sed Judex.* potuit.
10. Nam *Jure Civ.* eos Jurisjur. neceſſitati ſubeſſe.
11. Sub quâ & *Jure Canonicô* relinquantur; modò annuat ſuperior.
12. Non utique renitentiæ Clericorum aurem præbuiſſe *Reges Germaniæ*, ut nec ipſos *Pontifices*; quicquid ſit quòd *modus* in reverentiam Cleri compoſitus fuerit.
13. Apud *Proteſtantes* etiam adſtringi, ut jurent *erectis digitis*, etiam *Miniſteriales*; modò non *leves nimis* cauſæ ſint.
14. Non probari ſententiam *Carpzovii*, & quòusque *aliorum* ap. *Dedekennium* doctrina recipi poſſit.

I.

N*Ullius credi debere teſtimonio, niſi juratus depoſuerit, quantumcunque religioſus exiſtat*, Honorius III. Pontifex in *c. 51. x. de Teſtib. & atteſtationib.* reſpondit.

2. Eſtque hoc ſolùm *Epiſcopis* tributum Conſtitutione Imperatoriâ *l. 7. C. de Epiſc. & Cleric.* ut ob dignitatem ad eorum domum mitterentur juramentum accepturi, & ut propoſitis jurarent Evangeliis, non tactis: quod poſterius eſt corporaliter jurare. *c. hortamur: cauſ. III. q. 9.* de cæte-

cætero autem perinde juramentum ſubire tenebantur, ùt aliàs etiam à quibuslibet, ad præſcriptum *l. 2. C. de jurej. propt. cal. dand. & ſimil.* Evangeliis ante Judicem propoſitis, id præſtari oportuerat.

3. Nam Auctor quidem [1] *Authenticæ. Sed Judex.* poſt *d. l. 7. C. de Epiſc. & Cler.* quando ei *in fin. Non autem jurare Epiſcopos* debere, adjecit, eandem ad *Novellæ 123. c. 7.* ſenſum aut expreſſit infeliciter, aut ad morem temporum ſuorum aptavit: quibus invaluiſſe potuit, ut Epiſcopi ſub juramento teſtimonia ſua edere recuſarent, ſibique fidendum eſſe vellent, modò ſimplici aſſertô in conſpectu Evangeliorum dicerent, quæ noviſſent.

4. Nimirum diverſos fuiſſe *Authenticarum* Auctores negari non poteſt, easdemque non unâ vice textibus Codicis ſubditas eſſe, ſtatuendum eſt. Hinc oppidò eſt probabile, quòd ſicut alibi Novellas, ad quarum faciem Authenticæ pleræque exſculptæ eſſe putantur, (ſaltim eò reſpexiſſe Auctores eòque curas ſuas retuliſſe indubium eſt) ne quidem illi per omnia aſſequi cupiverunt: (Nam quis interpretum adeò ſtupidus

dus fuerit, ut totâ januâ à contextu aberret? cùm tamen Auctor unus altervè quarundam Authenticarum aſſumenta illa adferat, quorum in Novellis ne veſtigium quidem reperitur.) Ita etiam cum *Authenticâ. Sed Judex.* ſe res habeat, ut eidem Interpres ſeu Epitomator *Novellæ 123. c. 7.* ex recentiori ævo quid adjecerit.

5. Equidem *Canonica jura* Epiſcopos, tantùm non tactis Evangeliis, jurare debere volunt: *c. 7. x. de juram. calumn.* ab omni verò juramento nullibi eximunt; quin potiùs illos ſub regulâ *d. c. 51. X. de teſtib. & atteſtat.* relinquunt. Nec diverſum habet *can. ſtatutum eſt. 38. cauſ. 11. q. 6.* quippe qui ſolùm vetat, *judicem* Eccleſiaſticum vocari ad teſtimonium in illâ causâ, in qua anteà in primâ inſtantiâ judicavit.

6. Et quanquam juramentum calumniæ, in causâ Eccleſiæ ſuæ præſtandum, mandatario Epiſcopus committere poſſit: *c. 1. x. de juram. cal.* quod non minùs aliis, ut videlicet per Procuratores jurare queant, Legibus noſtris permiſſum eſt; tamen etiam ipſum Epiſcopum, propoſitis Evange-

liis id juramentum præſtare oportere *c. ult. ejusd. Tit.* conſtitutum eſt.

7. Quid quòd etiam in *Concilio Tribu-rienſi*, ſub Arnulfo habito, ex quo ùt alia *Gratianus*, ita quoque *can. 4. cauſ. 11. qu. 5.* tranſcripſit, non ſimpliciter Epiſcopi & Clerici à neceſſitate præſtandi juramenti exempti ſint; ſed duntaxat cogi eos non debere placuerit, ad illud ſubeundum in cauſis levioribus: quin tantùm in his obteſtationi per ſanctam conſecrationem relinquerentur.

8. Intereà difficiles ſe præbuiſſe ad præſtanda juramenta cumprimis Epiſcopos, & in dignitate clericali conſtitutos, exinde patet, quòd ſub Henrico II. Imp. eò res deducta fuerit, ut juramentum in quibusvè cauſis detrectare per ſemetipſos, atque illud per alios offerre poſſent. (*v. L. II. LL. Longob. T. 48. c. 11.*)

9. Quapropter ſi ad ea tempora, quibus jam in morem abierat, ut Epiſcopi non modò per alios jurarent, ſed & ipſi nullâ formulâ juramenti adſtricti, in conſpectu Evangeliorum, enunciatione ſimplici eorum quæ noviſſent defungerentur, Auctorem

rem *Auth. Sed Judex.* reſpexiſſe quis dixerit, fortaſſe nil eſt quòd erroris eam conjecturam quis arguat.

10. Siquidem *Novella 123. c. 7.* Epiſcopos à juramenti præſtandi neceſſitate, cùm in teſtimonium poſcuntur, nequaquam liberat; ſed ſolùm in modô quid indulget, ut corporaliter jurare non teneantur; neque ullibi in Jure Civili, quòd à ſacra & ſolenni formulâ juramenti immunes ſint, conſtitutum eſſe reperitur. Nam & *l. 25. §. 1. C. de Epiſc. & Cler.* de cautione juratoriâ loquitur, ut ad hanc clericos adigi non oporteat, verùm promiſſioni nudæ committi debeant, ùt *in l. 33. §. 3. C. eod. & Nov. 123. c. 21.*

11. Non etiam *Jure Canonico* à neceſſitate juramentum illud teſtium præſtandi ſequiori tempore uſpiam eximuntur; ſed Pontifices in eâ, quæ in *c. 51. x. de teſtib. & atteſt. & c. 39. eod.* religioſis etiam ad teſtimonium accitis injecta eſt, regulâ perſeverârunt, & prætereà juramenta alia Epiſcopos ſubire debere voluerunt; (*v. c. ult. x. de purgat. Canon.*) tantùm quòd de Clericis in univerſum, eos ad jurandum ſine

præ-

præſcitu & conſenſu prælati ſui aut ſuperioris procedere non debere, ſtatuerint. *c. 1. x. de juram. calumn.*

12. Mores verò illos, quibus ad immunitatem à jurando, ipſis Regibus & Imperatoribus Germaniæ aliquantum conniventibus, adſpirare Clerici cœperunt, ad maturitatem non veniſſe, vel hinc colligitur, quòd nec Pontificia quædam Conſtitutio exemptionem illam per alium quodlibet juramentum præſtandi firmaverit, atque hodienum Epiſcopi, item Sacerdotes alii, & in univerſum perſonæ Eccleſiaſticæ, apud Pontificios, in teſtimonium vocatæ jurent; ſaltim quòd non jurent corporaliter ſeu tactis, attamen propoſitis Evangeliis, & *tactô pectore* (qui quidem ipſe actus quidam corporalis eſt:) ceu Veſtrius *in Lib. VI. Pract. c. 2. n. 7.* teſtatur.

13. Sed in terris Proteſtantium, ubi illa Evangeliorum adhibitio non uſurpatur, Clerici etiam Superiores jurare tenentur corporaliter: & hoc ſolûm, ad exemplũ *Canonis XXI. Concilii Triburienſis*, attenditur, ut non niſi in gravibus cauſis eò adſtringantur,

tur, qui in ordine Miniſterii ſunt: (*v. poſt al.* Carpz. *Deciſ. LXXVII.*) quamvis cauſæ illæ Conſiſtoriales fuerint.

14. Uti enim in hoc *Carpzovius* aſſenſum non facilè impetrabit, quòd Clericos *d. Deciſ. n. 13. ſeqq.* in cauſis matrimonialibus, cæteriſque ad Eccleſiaſticas & judicia Conſiſtoriorum relatis, à neceſſitate jurandi exemptos velit: Ita nec ſententia, quam Dedekenn. *Vol. I. Part. 3. membr. 4. ſect. 4. n. 15.* habet, ut Clericorum aſſertis ſub fide illâ, quâ ipſis Eccleſia commiſſa eſt, credatur, habere locum poteſt; præterquam in his, quæ præcisè quid continent, in quo de perſona & functione ſuâ, in negotio Eccleſiaſtico concurrente, quid aſſerunt.

## PRÆSCRIPTIO XI.

# JUS SOLITI.

AD

## *L. 9. C. d. Pignorat. act.*

1. Impunem eſſe, qui ex eo quem *lædit*, quod *fieri ſolitum* eſt; cum exemplô.
2. *Infortunia* in luſibus admiſſis, in *torneamentis*: aliâque conſuetudine *publicâ*.

3. In *Præteritis* faciliorem excuſationem.
4. Ad *futura* nec *Civile* jus connivere, nec *Canonicum*.
5. Nec probari *injuſtam conſuetudinem* aut *errorem affectatum*.
6. In *objectô* autem *licitô morem regionis* ſervari.
7. Imò *domûs*, & *unius* vel *plurium* conſuetudinem reſpici.
8. Quò pertineat *d. l. 9. C.* ubi de horreis.

1.

Quòd conſuetudo, etiam injuſta, à pœna excuſet, Mollerus *III. Semeſtr. c. 2.* cum *pluribus aliis* agnoſcit: & Hippol. Bonacoſſa inter communes retulit ſententias: *Eum à dolo & culpâ excuſandum eſſe, qui facit id, quod communiter fieri videt per alios.* Cujus quoque doctrinæ exemplum Anchoranus *Conſ. 283.* Hartmanno Piſtoris *I. Qu. 49. n. 25.* citatus, in conſuetudine *Bononiæ* deprehendiſſe ſibi videtur, ubi mos inoleverit, ut pueri jactu lapidum ludant. Itaque ſi unus alterum aliquando occidat, impune iſtud eſſe oportere.

2. Enimverò ſicut mos ille *Bononienſis* conniventiam Magiſtratûs perdurantem habet, quæ futuros etiam & præviſos caſus indulgeat: quò non minus ea referas infortu-

fortunia, quæ olim inter *haſtiludia & torneamenta* ſæpiùs acciderunt. *Molleri* quoque diſtinctionem, quâ conſuetudinem quidem publicam, licèt injuſtam, excuſare, ſed non privatam unius hominis aſſuefactionem, v. c. maledicendi, perhibet, reſtrictio illa: *cæteris paribus*, ſatis tuetur.

3. Quin & *Juſtinianus* Imp. in *Novellâ* 154. *c.* 1. agreſti multitudini in *Osdrœna*, quæ vicinarum Gentium libidines, (ùt ſubinde conſuetudine *Jus Gentium* mentiuntur,) imitata fuerat, illicitas conjunctiones in præteritum condonat.

4. Ita ſimul ipſe in *eâd. Conſtitutione* ſeveriſſimè inculcat, quàm *exempla* delinquentium non excuſent! *Oportet*, ait, *rectapariter & convenientia ſapere, & alios ad earundem rerum æmulationem excitare: non verò ipſos perpetrare Legibus contraria, & mutuâ vitiorum imitatione refugium quærere.* Neque Auguſtinus *c. 7. XXXII. q. 4.* de *more*, qui Legi naturali repugnet, loquitur: quem & *corruptelam* canonibus inimicam, non conſuetudinem, appellari fas eſt. *c. 7. x. d. Conſuetud.*

5. Eſtque vera omninò ſententia, injuſtam conſuetudinem haud unquam à pœna vel culpâ delicti quem eximere; ceu nec affectatus aut ſupinus error ad excuſationem criminis allegari poteſt. *c. 13. d. R. J. in 6. c. 12. §. notandum. l. 9. 4. l. 1. & ult. C. ſi adv. del.*

6. Cæterùm in objecto *licito* ad morem regionis negotia aptare ſolent Leges noſtræ, *l. 71. ff. d. contrah. empt. l. 6. ff. d. evict. l. 21. ff. qui teſt. fac. poſſ. l. 157. d. leg. 2.* atque hinc uſurarum quoque modum definiendum eſſe, *d. l. Hartmann. Piſtoris* approbavit. *v. l. 21. ff. d. ann. legat.*

7. Eſt & conſuetudo *domûs: l. 13. §. 1. ff. d. pecul.* & *unius* hominis, quam ſi non attendat geſtor negotiorum ejus, de omni periculo conveniri poſſit. Nam ita Proculus *l. 11. ff. d. Negot. geſt.* debere *caſum* præſtare eum, tradit, qui *novum* negotium, *quod non ſit ſolitus abſens facere*, gerit. Plurium verò hominum, qui ratione & virtute pollent, conſuetudinem *regulas*, (quas & voculâ *ſolet* innui, notat *Cujacius* ad *l. 46. d. Reg. jur.*) in præſtatione *diligentiæ*

*tiæ* & *culpæ* circà contractus, efficere, tralatitium eſt. v. *l. 223. §. 1 ff. d. V. S. l. 31. ad L. Aquil. l. 25. §. 16. fam. erc.*

8. Quocircà *Georgium* quendam in *l. 9. C. d. pignorat. act.* non immeritò periculi abſolvunt *Imperatores*, qui pignus *in horreis* depoſuerat, quibus & alii publicè, h. e. communiter, uti ſolebant. Imò tutior ille locus putabatur, quàm ſi in ipsâ domo conderetur. *l. 20. §. inſtructis. ff. de inſtruct. vel inſtrum. leg.* & in horreis *pretioſiſſimam* partem fortunarum ſuarum homines repoſuiſſe JC. ait, *l. 3. §. effracturæ. ff. d. Off. Præfect. vigil.* niſi quòd & horrea varii generis, variique usûs, aut ſecuritatis, fuerint.

## PRÆSCRIPTIO XII.

# UTILIS ACTIONIS UTILITAS.

AD

## *L. 47. D. de Negot. geſt.*

1. Difficilem *Pauli* doctrinam.

2. *Triboniano* id tribuere *Ant. Fabrum:* quò & *Dion.*

*Dion. Gothofredus* tendat.

3. *Formulas* non ante *Conſtantinum* ſublatas. *Judiciorum* quoque diſcrimen in *Ord.* & *extraord.* ad usque *Diocletianum* perdurâſſe.

4. Ex hoc, quòd deinceps *extraordinaria* facta fuerint Judicia, ceſſare non potuiſſe diſcrimen actionis *directæ* & *utilis.*

5. *Utiles* quoque actiones adh. *ap. Judicem* inſtitui ſolitas: & nil in eâ *l. 47.* à *Pauli* ſententiâ alienum.

6. Non poſſe admitti *Brunnemanni* diſtinctionem in actionem N. G. *directam* ſeu ordinariam, & *utilem* ſeu extraordinariam.

7. Neque ideò *extraordinarium* eſſe N. G. judicium, quia *bonæ fidei* eſt.

8. *Actionem* N. G. omnem *ordinariam* eſſe; *Judicium* v. ſuper eâ, ſive *directa* ſive *utilis* fuerit, omni tempore *extraordinarium*; ſenſu *ſingulari.*

9. In actionibus, ubi admittitur quilibet cujus *intereſt*, ſupervacuum eſſe in *conceptionem* inquirere, num directa num utilis obtineat actio.

10. *Paulum* reſpicere *ad effectum*, & ad eum, cujus agere vel conveniri *intereſt*; de cætero ſatis multa *diſcrimina* actionis *directæ* & *utilis* etiamnum supereſſe.

11. *Quid utilis* actio in *l. fin. C. d. H. A. V.*

I.

Est valdè difficilis JULII PAULI JC., quæ ex *Lib. I. Sententiarum* ejus, in *l. 47. ff. d. Negot. geſt.* conſignata reperitur traditio: *Non refert directâ quis an utili actione agat vel conveniatur: [quia in extraordinariis judiciis, ubi conceptio for-*

*formularum non obſervatur, hæc ſubtilitas ſupervacua eſt.* ]

2. Equidem *Antonius* Faber *IV. Conjectu- rar.* 7. ea quæ clathris incluſa ſunt, à *Triboniani* manu eſſe opinatur; indeque etiam *Dionyſius Gothofredus* judicia *extraordinaria* de iis, quæ nunc in uſu ſunt, § *fin. Inſt. d. Interdict.* & de formulis jam antè ſublatis, intelligi voluit.

3. Nam *formulæ* actionum tempore *Pauli JC.* adeò obtinuerunt, ut inſipidi fuerint, qui *partim* eas tum frequentari deſiiſſe tradunt; ( ſaltim ut in hâcce conjecturâ remedium textui adferre poſſe viderentur: ) atque demum per *Conſtantinum Imp. l. 1. & 2. C. d. formul. & impetr. ſubl.* abrogatæ ſunt: quin & ſuper hâc ipsâ actione Neg. geſt. *Pauli* tempore judex datus fuit. *l. 3. pr. & paſſim. ff. d. t.* nec minùs *ordinariorum* atq; *extraordinariorum judiciorum* diſcrimen, nullô quôquam immutatô, ad usque tempora *Diocletiani & Maximiani, l. 2. C. de pedan. judicib.* frequentatum eſt.

4. At verò imperitum fuiſſe juris oportuerat *Tribonianum*, ſeu quisquis *Compila-*

*torum* textui *interpolando* manum commodâſſet. Quis enim exhinc ceſſare diceret, etiam ipsô *Juſtiniani* tempore, diſcrimen actionis *directæ* & *utilis*, quoniam judicia tunc in *extraordinaria* abierint.

5. Neque enim diſcrimen illud ſublatum eſt, neque actiones tantùm utiles apud Magiſtratûs inſtitutæ: ſicut antehàc etiam utiles actiones, ut ad judicem pedaneum deferrentur, à Prætore impetratæ ſunt: *l. 39. pr. ff. d. Evict.* atque interdicta, (quæ tamen *juris extraordinarii* non erant, *l. 3. C. d. Interd.*) utilia quoque apud judicem dabantur. *l. 1. in f. d. Superfic. l. 11. §. 10. ff. Quod vi aut clam.* Indeque nil quicquam *dictæ Legis* à *Pauli ſententiâ* alienum agnoſci debet.

6. Pervertit tamen eam quoque *Brunnemannus* ad *d. l. 47. in Commentar. Pandect.* quando actionum Negotiorum geſtorum unam *directam*, quam ille *ordinariam* vocat, alteram *utilem* ſeu *extraordinariam* conſtituit, quæ quaſi in ſubſidium à Prætore variis caſibus accommodetur. *l. 19. § 2. ff eod. &c.* Quòd ſi enim in extraordinariis judiciis ſubtilitas illa diſtinctio-

ctionis in actionem directam & utilem ſupervacua eſt: nonne idem *Paulus* diceret, atque ſupervacuam eſſe diſtinctionem hanc directæ & utilis actionis in actionibus Negotiorum geſtorum utilibus? quod non modò acumine *Pauli* indignum fuerat; verùm etiam dici non poteſt, quòd in actionibus extraordinariis, ſeu utilibus, conceptio formularum tempore Pauli non obſervata, aut in iſtis cuncta arbitrio judicis, penes quem tamen omnia ſub formulâ, permiſſa fuerint.

7. Nec minùs in eundem lapidem impingunt, qui extraordinarium putant judicium N. G. ideò dici, quòd bonæ fidei ſit. Quis enim ignorat, id diſcriminis inter directam & utilem actionem, noſtris etiam temporibus, in negotiis illis bonæ fidei ſupereſſe: atque Pauli tempore omninò formulas adeò in judiciis bonæ fidei obtinuiſſe, ut nullibi formularum uſus, quàm in iſtis atque ſtricti juris judiciis, ſe conſpiciendum magis præbuerit.

9. Sanè actio *Negotiorum geſtorum* omnis *ordinaria* eſt, *judicium* verò ſuper eâ, tum quoque temporis, ubi *Paulus* ſcribe-

bat, licèt apud *Judicem pedaneum* perageretur, & ſive actio *directa* inſtitueretur ſive *utilis*, utrobique *extraordinarium*: haudquaquam eô ſenſu, quòd *Prætor* ſuper eâ cognitionem ſuſceperit, qui videlicet formulæ nulli alligatus fuerat. (neque enim actio Negotiorum cognitionis erat extraordinariæ: *l.3.pr.ff. d.neg geſt.*) Sed *ſingulari* planè, quô judicia deſignat, quæ cùm ex certâ adeò & *definitâ* causâ non procederent, (*v.* tamen *l. 24. ff d. tut. & rat. diſtr.*) *generali æquitate* nitebantur, prout variis caſibus Prætor in *ſubſidium* venire, ſeu quod alibi ſæpiùs occurrit, *extrà ordinem* ſubvenire, poterat. *add. l. 19. §. 2. l. 27. l. 32. l. f. ff. d. Negot. geſt. junct. l. 13. ff. Commod.*

9. Cùm enim *Paulus JC.* in *pr. d. l. 47. ff. eod.* dixiſſet: *actionem negotiorum geſtorum illi dari, cujus interſit, hoc judicio experiri.* Hinc deinde ſubjicit, quoniam *ſimplici æquitate* hoc judicium nitatur, ac proinde *extraordinarium* ſit, non debere formulam conceptam (*conceptionem* enim *formularum* ipſam ſervari, ſed tantùm in his judiciis non *obſervari*, innuit,) *ſubtiliter*

*ter* indagari à judice vel partibus, num in rationem directam, an verò in utilem tendat: quoniam in ejusmodl judiciis, ubi *omnis ille cujus intereſt, admittitur*, quæque ratione illorum *in effectu ultimo*, ſeu obtentione ejus quod intereſt, conveniunt, *ſupervacua* ſit illa *ſubtilitas*: quæ aliàs omninò tempore *Pauli*, ad tenendum illud actionum diſcrimen, atque nunc etiam, noſtris temporibus, *neceſſaria* eſt.

10. Reſtringi nempe oportet Paulum ad *effectum* illum atque poteſtatem actionum, nec non ad perſonas ſeu *ſubjectum*, cujus agere vel conveniri intereſt, (ceu in ſimili *Ulpianus*, *l. 8. §. 13. ff. ad SC. Vellej.* inceſſit:) cùm quidem in effic. objecto & formâ, non modò quoad actionem negotiorum geſtorum, (ubi quidem diverſimodè *intereſſe* poteſt,) ſed & quoad generis ejus cauſas alias, *diſcrimina* plura utriusque actionis *directæ & utilis* etiamnum attendenda veniant: de quibus adi *Hilligerum* noſtrum *Lib. XXI. Don. Enucl. c. 2. Lit. I.*

11. Cæterùm alia eſt *utilium* actionum in *l. fin. C. d. heredit, vel actione vend.* ſignificatio,

ficatio, quam inter *diſſentientes* etiam hic *interpretes* planô ſenſu non immeritò decurrere voluit doctiſſimus *Giphanius*.

# PRÆSCRIPTIO XIII.

# LEX NECESSITATIS.

## AD

## *L. 3. C. d. Locato Conducto.*

1. Cedit *neceſſitati* religio.
2. Non cedit *pietas*. *Furtum* eſſe, licèt ex neceſſitate. Et an *dominium* neceſſitati cedat?
3. *Priùs* quemque *ſibi* proſpicere. De *jactu* mercium *alienarum*. De *communicatione* ad neceſſitatem aliorum. Nullibi rediri ad *Communionem primævam*.
4. *Res* meas ſalvare me poſſe cum damno alterius; & *corpus* meum multò magis.
5. *Charitas* ſibi *proxima*.
6. *Æquitatis* rationem *imperare*, ut *neceſſitati* noſtræ proſpiciamus.
7. Eò redigi ex parte *Legem 3. C. d. Loc. Cond.*

1.

QUanquam *neceſſitas* ſit vis, cui inviti ſuccumbimus. *l. pen. §. f. ff. d. excuſ. tutor.* atque ipſa religio, rerum puta,

ta, neceſſitati cedat. *l. 21. & Auth. Præterea. C. d. S. S. Eccleſ.*

2. Non tamen *Hontbemius Lib. 2. d. Arte Notar. c. 22. n. 43.* inferre debuit, ob neceſſitatem furari licere, quod ob pietatem non liceat: indeque majus neceſſitati quàm pietati privilegium competere. Neque enim eò minùs furtum eſt, quando cogente neceſſitate, (licèt victûs & amictûs,) alienæ res ſurripiuntur. Et quamvis neceſſitas inſuperabilis in lege Dominii excepta eſſe cenſeatur: *l. 13. ff. famil. erciſc. l. 38. pr. d. Leg. 3.* non tamen illa Dominium tollit, quaſi per eam ad communionem rerum primævam, (quæ tamen nulla unquam fuit,) revertamur.

3. Planè in communi periculo ſi quis ſibi priùs proſpiciat, vitio iſtud ei vertendum non eſt. Et hinc qui alienas merces, ſuarum ſervandarum causâ, in mare projicit, *nullâ actione*, propterea quòd projecerit, *tenetur*, *l. 14. pr. ff. Præſcript. verb.* niſi quòd ſi ſuas ſervet, ad contribuendum alteri obſtrictus ſit. Tenetur etiam in navigatione ſi defecerit, quô navigan-

gantes ſuſtentari queant, conferre iſtud in commune quilibet, quo inſtructus eſt. *l. 2. §. cum in eâdem. in f. ad L. Rhod. d. jact.* Sed nec hoc ipſum propterea, quòd ad primam illam, quam fingunt, communionem hocce referatur.

4. Quin & periculum non modò corporis, ſed & rerum mearum, avertere poſſum, cum damno alterius, ſi aliter ſalvari nequeam, aut res meæ aliàs perituræ forent. Etenim hinc procedit, quòd defendendi prædii mei causâ vicini ædificium, ortô incendiô diruere poſſim: *l. 3. §. 7. ff. incend. ruin. naufrag.* quòd item funes alterius aut retia diſcindere liceat, in quæ navis mea impulſa eſt, ſi aliter iſta explicari nequeat. *l. 29. §. 3. ff. ad L. Aquil.* ut ne de corporis tutela dicamus: cùm neceſſitas ſcilicet imperet, ut ipſe mihi priùs conſulam.

5. Equidem *ab homine*, juxta *Senecam c. 30. de vitâ beatâ. maximè exigitur, ut proſit hominibus, ſi fieri poteſt, multis: ſi minùs, proximis: ſi minùs, ſibi.* Imò *durum & crudelitati proximum* eſſe, reſcribit *Claudius Imp. in l. 6. C. d. ſervit. & aqua.*
ut

ut res tuas aliis gratificeris, & ipſe careas. Siquidem proximi charitas à noſtrâ procedit, eò quòd noſmet diligamus primô locô. Μισῶ σοφιςὴν, ait Euripides, ὅς τις ἐχ αὑτῷ σοφός. *Odi ſapientem, qui ſibi ſapit nihil.*

6. Quin & neceſſitas probabile facit ſæpiùs, quod tale per ſe non eſt. *l. 27. ff. de Manum. teſt.* Et quamvis *æqualitas* ob neceſſitatem quadantenùs ſeponi cenſeatur, ùt *Baldus* ait *ad l. 1. C. unde vi. n. 10. 11.* Tamen potiùs æquitatis ratio imperat, ut neceſſitatem noſtram, ceu interpretem negotiorum, adhibeamus: quaſi ſemper excepta habeatur in his, quæ debemus aliis; modò neceſſitas illa aut præviſa non ſit, ut ſuper eâ jam tum contractum videri poſſit; aut quis ipſe in neceſſitatem iſtam ſe non conjecerit: quoniam ſublevari *non meretur, qui ipſe ſibi neceſſitatem impoſuit. l. 7. §. 1. ff. qui ſatisd. cog.*

7. Nititur verò ex parte aliquâ, *uſus proprii neceſſitate*, per quam legem Locationis evadere licet, celebre illud *Antonini Imp. in l. 3. C. de Locato Conducto.* Reſcriptum.

PRÆ-

# PRÆSCRIPTIO XIV.

# TRADITIO DOMINUM EFFICIT.

AD

## *L. 20. C. d. Pactis.*

1. *Lex Cincia mancipationem* quibusdam remiſit; non *traditionem*.
2. *Impp.* etiam traditionem *parentibus & liberis*, in quibusdam rebus.
3. Idque ad *perficiendam* donationem, non ad *implendam*.
4. Nunc *in quôlibet* nudâ *voluntate* perfici.
5. *Actionem* habere in *dominio acquirendo* minus eſt, quàm *rem* habere; in *acquiſito* idem, & quã ratione?
6. Ne *Princeps* quidem aut *Eccleſia* nudà voluntate quem dominum conſtituit, licet hic *Eccleſia, Pia cauſa*, vel *Civitas* fuerit.
7. Rejectâ *contrariâ* ſententiâ.

I.

REmiſerat LEX CINCIA, *Muneralis* illa, *mancipationis* tantùm neceſſitatem in donando parentibus & liberis, atque aliis quibusdam Perſonis, (ùt videtur, illorum, qui inviti adverſus invicem teſtimonia dicere non coguntur:) idque

in

in rebus mancipi & Italici Juris; ſed *traditionis* neceſſitatem hiſce non remiſerat.

2. Divus Pius & Constantinus, Parentibus ac liberis traditionem quoque remiſerant, in rebus nec mancipi & ſtipendiariis, ita ut *cæteri*, quamvis conjuncti, tradere adhuc neceſſe haberent. Atque hoc idem eſt, quod Paulus, poſt Divum Pium, in IV. Sentent. Tit. 1. §. 11. inſinuat, dum: *Sufficit*, ait, *inter conjunctas Perſonas*, (intelligit autem conjunctiſſimas,) *quibuscunque verbis, ùt in donatione, voluntas expreſſa.*

3. Quamvis autem hâc ratione, jam tum ante Juſtinianum, donationes aliquæ validitatem ſuam, citrà traditionem, *nudâ voluntate*, conſequerentur; tamen ea non niſi ad *perfectionem obligationis* pertingebat: *dominii* translationem adhuc per traditionem fieri, imò & *perfectionem* & *implementum* donationi, in cœteris à mancipando exceptis, aliisque Perſonis, conciliari oportuit. Sic enim alio loco Paulus, *Lib. V. Sentent. Tit. XI.* §. 4. *cùm unius rei in duos donatio confertur,*

*potior eſt ille, cui res tradita eſt, nec intereſt, poſterior quis an prior acceperit: & exceptæ nec ne perſonæ ſint.*

4. Nunc autem, ubi ſublatâ indiſtinctè CINCIA Lege (*v. Nov. 162. c. 1. l. 35. C. d. Donat.*) nuda voluntas donationem in donante quolibet perficit, (niſi quòd traditio, ſi nullâ promiſſione antecedaneâ fiat, in ſolidum abſolvat negotium,) nihil ampliùs habent præcipui *Parentes* & *Liberi*, nil etiam minus his *cæteri:* adeoque ad dominium acquirendum ut *traditio* fiat neceſſe eſt.

5. Planè in dominiò *acquirendo* non idem ſed minus eſt, actionem ad rem conſequendam, atque *rem ipſam*, habere, *l. 204. d. R. J.* in *acquiſito* idem eſt, ſi cauſam videlicet Dominii reſpicias: non etiam ſi *poſſeſſionem* rei, ejusque *commoda*, intuearis: nam ita ſecundùm *l. 15. d. R. J. plus cautionis*, h. e. plus utilitatis, plus ponderis & momenti, ùt exponit *Cujacius*, *in re*, eſt, quàm *in perſonâ*.

6. Proinde cùm vis ea *traditionis ſolius* in donatione ſit, ut dominium ex illa transferat,

ferat, ne quidem *Principis* aut *Eccleſiæ*, vel *Eccleſiaſticæ perſonæ*, voluntas donatæ rei dominum quem conſtituit: quin potiùs ſi cui, licèt poſteriùs, donet ac *tradat*, ille præferetur alteri, cui idem prius donaverat, quamvis *donatarius* iſte, vel *Eccleſia*, vel *Pia cauſa*, vel *Civitas* ſit: imò licèt poſterior, qui rem traditam accepit, donationis, aut *venditionis* etiam, alteri priùs factæ *conſcius*, aut *traditio ficta*, fuerit.

7. Quicunque enim his adverſa docent, deſertam à ſe temerè *Legem 15. C. d. Rei Vind.* haud effugiunt, quasque ei Conſtitutioni *exceptiones* affricare nituntur, eas nec conſtitutò illo, nec recepto etiam jure, tueri poſſunt.

## PRÆSCRIPTIO XV.

# REMISSIO CAUTIONIS FRUCTUARIÆ.

## AD *L. 4. C. de Uſufr.*

 1. *Lex*

1. *Lex* cautionem, *teſtator* uſum ejus, remittere poteſt, ex *Galvani* ſententiâ.
2. Vanam hanc doctrinam: eò quòd *Lex* remittat, ubi *ſalva* eſt *ſubſtantia*.
3. Hoc *in exemplis* oſtenditur Remiſſionis Legalis.
4. Cur *Teſtatori* remiſsio illa impermiſſa ſit?
5. Non utique Lege remitti cautionem ideò, quia ſit de Uſusfructus *naturâ*. Quanquam *homo inter vivos* eam remittat liberè.
6. *Hæredi* remisſionem *imponi* non poſſe.
7. *Per naturale* quandoque *ſalvam* præſtari *ſubſtantiam*.
8. Perperam docere *Galvanum*: poſſe Teſtatorem remittere *uſum*, ſed non *jus*, cautionis, nec poſſe *jus* ejus exigendæ.
9. Sic &: poſſe ipſum hæredem proprietarium remittere *uſum*, ſed non *jus* cautionis: quoniam jus iſtud *publicum* ſit.
10. Quod ulteriùs refellitur.
11. Nec ullâ ratione *jus* exigendæ cautionis *publicum* haberi poſſe.

I.

Quod in *variis Differtt. d. Uſufr. c. XX.* Marc. Aurel. Galvanus magnô conatu egit, ut oſtenderet, *fructuariam cautionem* à *Lege* remitti poſſe; à *teſtatore uſum* ejus poſſe, non etiam *jus* cautionis: illud utrobique vaniſſimum eſt.

2. Nam ſi de *Lege* quæratur, alia penitùs eſt *remiſſio*, quàm illa, quæ circà Teſtatorem

torem in dubium trahitur: ſiquidem eô rerum ſtatu, quem uſusfructus ordinariè habet, ne quidem Lex remiſſionem ſcribere voluit aut potuit: in iſtis v. ſpeciebus, in quibus Lex cautionis gratiam fecit, non illud *periculum* eſt *proprietatis*; & ob hoc demum cautionem remittendam eſſe, placuit.

3. Sanè quæ *Patri* defertur *reverentia*, quâ meritò conjicimus, patriâ ſuâ poteſtate eum, in perdendis liberorum *adventitiis*, abuſurum non eſſe, paſſa non fuit, ut onere cautionis ipſe gravaretur. *l. fin.* §. *fin. C. d. bon. quæ lib. junct. l. 11. ff. uſufr. quemadm. cav.* (indeque in caſtr. & quaſi caſtr. peculio ſecùs eſt. *l. 15.* §. *f. d. caſtr. pec.*) *Fiſcus* etiam ſolvendô manet: ac quando alicui *in diem proprietas* relicta fuit, nec præſentis nec futuri proprietarii, ut cautio præſtetur, *intereſt*.

4. In cæteris autem, ut *Teſtator* cautionem *remittere* poſſet, induci Legibus non potuit, ex immotâ ſcilicet hypotheſi, quòd *ſalvam* eſſe oporteret proprietatis *ſubſtantiam*, nec remiſsâ cautione *ſatis* per Rei vindicationem, aut Legis Aquiliæ

ctionem, heredi proprietario proſpectum eſſe potuerit: cùm dentur casûs ſubductæ vel læſæ ſubſtantiæ, quos, niſi per *actionem* illam *ex cautione*, reparare non liceat.

5. Quàm itaque falſum eſt, quod *Ille* ait, ideò à Lege remitti poſſe etiam jus cautionis, quia cautio non ſit de ſubſtantiâ uſusfructûs, ſit de *naturâ* ejus. Si enim de *homine* ſermo habeatur, atque eô, qui *inter vivos* uſumfructum ipſe conſtituit, dubium nullum eſt, quin proprietatem ille in caſum conjicere, atque cautio ab uſufructu abeſſe, quin imò eâ ratione ſemel conſtitutus in hæredem proprietarii transmitti, poſſit.

6. *Hæredi* v. ſuo non poteſt teſtator imponere, ut cùm ei *conſtitutionem* uſusfructûs injungit, proprietatem inde remanentem arbitrio uſufructuarii, ſaltim non adeò munito, *invitus permittat*. (cùm quidem ipſi heredi *cautionem Legatorum* longè diversâ ratione poſſit remittere; uti *ſpem Legatario* imminuere valet. *l. 46. ff. d. pactis. l. pen. C. ut in poſſ. Leg.*)

7. Poſ-

7. Poſſum itaque, quod de *naturâ* rei eſt, dum negotium conſtituo, detrahere; non poſſum ei, qui rem ſuô jure conſtituturus eſt; quamvis ipſe poſſit. *l. 13. pr. d. Uſufr.* Utique hîc caſus quoque datur, ubi ex *naturali* ſemotô *ſubſtantia* & ipſa periculo ſubjicitur. Itaque non ideò remittunt Leges cautionem quibusdam *caſibus*, quòd cautio de *naturâ* tantùm Uſusfructûs ſit; ſed quoniam de *proprietate* perimendâ aut minuendâ in iſtis nil metui, aut non facilè quid poteſt.

8. *Teſtator* v. in præjudicium heredis proprietarii cautionē remittere non valet, *l. 1. C. d. Uſufr. d. l. pen. C. ut in poſſ. legat. cauſ.* nec effectum ejus intervertere: ſicut hoc quidem ex *l. 8. ff. d. Uſufr. ear. rer.* malè infertur. Et indigna eſt GALVANO diſtinctio, poſſe eum remittere *uſum* & *exactionem* cautionis, non poſſe *jus* cautionis exigendæ: nam ſi *effectum* ſeu *præſtationem* remittere poteſt, (ùt ipſe tradit,) ad quid deinde proprietario hæredi *jus* ſeu *exactio* cautionis? An verò putabimus, gravem fore uſufructuario, quam GALVANUS ſuperfuturam eſſe fingit, *obli-*

*gationem?* ſi à *præſtatione* & imò *exactione* immunis fuerit. Et nonne ſic Leges *verbis* non *rebus* impoſitæ erunt?

9. Imò quod indignum magis eſt, Idem *Auctor*, ut doctrinam ſuam, (quod eôdem, id eſt, infelici, ſucceſſu fieri poterat,) ulteriùs porrigeret, etiam *hæredem* vel *legatarium proprietarium* non jus cautionis, ſed *uſum ejus*, remittere, ſcribit, quando uſufructuario gratiam cautionis facit: quoniam ſcilicet jus iſtud publicum ſit: atque inſuper *jus* conventionis per pacta, quæ *facti* ſint, directò non tollatur. *l. 27. §. 2. d. pact.* Ac ſi verò de jure, quà Lex eſt, removendô, (ſic enim habet ſignificatus, quando *publico juri* privatorum pactis derogari non poteſt,) hîc ageretur; *facultas* autem ſublatô *factô* non inanis fuerit: aut verò quod magis eſt, per *pactum* oporteat cautionem remitti, ut non poſſit per *ſtipulationem*: ne nunc plura dicamus.

10. Equidem *Ipſe* diffiteri non poteſt, quòd in proprietarii arbitrio poſitum ſit, dum uſumfructum conventione v. c. ſeu

inter vivos conſtituit, an cautionem exigere velit. Hoc eſt videlicet, quod per totam doctrinam vult, quòd jus cautionis *publicâ lege* inductum ſit, adv. quod privati conventionibus, *l. 38. d. pact.* ùt & Teſtatores diſpoſitionibus ſuis, *l. 35. d. Leg. 1.* venire non poſſint.

11. Cùm verò omninò poſſint omnes qui uſumfructum, vel verum vel quaſi, *conſtituunt*, *jus* quoque *ipſum* dimittere, non poſſit aliâ ratione *Teſtator*, qui hæredis *conſtitutioni* uſumfructum reliquit: Hinc apparet, quàm hoc *juris publici* nullatenùs dici queat: cùm nec conſtet, quidnam publici in eô Uſusfructùs requiſitô deprehendere liceat.

## PRÆSCRIPTIO XVI.

# CONFISCATIO COARCTATA.

AD

## *L. un. C. Ne ſinè juſſu Principis, &c.*

1. Confiſcatio per *Conſtantium*, & dehinc *Juſtinianum*, *à tertio gr. deſcend.* ſubmota.
2. Quod ad *Collaterales* porrexit *Theodoricus*.
3. Id ſecutum eſſe Auctorem *Auth. Bona Damnatorum.*
4. Sed hoc ipſum non pertinere ad *Confiſcationes* directò & *principaliter* inductas.
5. Neque has ſuſtuliſſe *Carolum V*, ùt nec quæ recentiori *Germanicô jure* introductæ ſunt; quamvis harum aliquæ *in conſequentiam* pœnæ capitalis veniant.
6. Casûs *Carolinæ Ordinationis* diſtinctè expoſiti.
7. Nil eſſe *mutandum* in *textu* ejus primigenio.
8. Inanem eſſe *Goldaſti* conjecturam.
9. *Martinium* quoque & *Carpzovium* non debuiſſe Textum *mutilare*.
10. Non usque *ſervari Ordinationem*. Nil tamen ad eum *Bannum Saxonicum*.
11. Ob *hæreſin* non obtinere Confiſcationem.
12. Nec adv: *ſagas*, aliosve delinquentes, eam *noviter* introduci poſſe.
13. Inhibitam quoque Confiſcationem *Rectoribus* Provinciarum *Veteris* Imperii.

I.

